E. R. pil. I.
E. 8. p. 1° O O n

MAVSOLEA
ROMANORVM PONTIFICVM,
ET
CAESARVM REGVMQVE AVSTRIACORVM
SIVE

AD EORVM SEPVLCRA
QVA' SOLVTA ORATIONE, QVA' VERSIBVS
INSCRIPTIONES.

AVCTORE IOSEPHO SILOS BITVNTINO.
CLERICO REGVLARI.

ALESSANDRINA

ROMÆ, Typis Ignatij de' Lazaris. M DC. LXX.
SVPERIORVM PERMISSV.

Ex Legato Josephi Carpani. J. V. D.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. D.

D. PETRO CARDINALI OTHOBONO

IOSEPH SILOS CLER. REG. D. D.

NESCIO, quæ me vis, aut genius eò impulit, Eminentiſſime Card. Othobone, vt *Romanos* Pontifices ſuo quemque Mauſoleo cohoneſtarem, inſcriptoque elogio, eorum virtutum decora ſtylo exciperem. Præclara nomina, diuinitatemq; ſupremi Muneris detriuiſſe profectò videor; tantùm abeſt, vt opes animi, mores, facta pro dignitate exornauerim: præſertim quòd preſſiùs loquutus, ac paucis; quod eſt ex ſe maximum, breuiore quodam verborum ambitu ita concluſi, vt explicare ſe ſe nequeat ſuo veluti in theatro virtus. *Hinc* læſiſſe me Pontificum maieſtatem iure quis deceret; niſi maieſtas ipſa Pontificum, quæ nihil eloquentiæ ſplendori debet, eadem omninò eſſet, ſiue amplificem, ſiue minuam: cum eius amplitudini, & nihil detrahat ingenij mediocritas, & nihil addat orationis cultus, & pompa. Itaque terrarum, Cælique Arbitros, Summoſque mortalium, & quibus ferendo Chriſtiano Orbi proxima Deo ceruix, quibuſdam ceu lineamentis legentibus

cum repræſentem, quærendus mihi fuit in Operis dedicatione, qui ampliſſima Infula, dignitate oris, morum laude argumenti celſitudini par eſſet; & gratularentur Pontifices ipſi, veluti rediuiuos prodire in lucem ſub vmbra magni nominis. Ades igitur, inclyte Othobone: Quæ ſimplici calami ductu, non artificum curis, non ambitioſiùs deflentis Reginæ luxu Mauſolea lucubraui; mutuatus videlicet ab egregia ipſa Optimorum Pontificum virtute ſaxa, ac marmorum cruſtas, vt de ſuo niteant; Tibi ex animi ſententia, tuoque patrocinio deſtinaui. Neque, herclè, vlli congruentiùs deſcriptos à me Pontifices addixerim, quàm eximiæ Purpuræ; Tuæ præſertim, quam vſque adeò lux generis, ac Patritius Venetorum Ordo nobilitat, condecorat inſignis virtutis indoles, ornat animi amplitudo, vis prudentiæ, eruditio, pietas, comitas commendant. Immorandum hic mihi in tanta laudum ſegete, an modeſtiæ tuæ obtemperandum? Agnoſco genium ab omni aurium lenocinio quàm remotiſſimum. Video te Græco illi Duci longè abſimilem, qui nullum ſibi dulcius in theatro acroama, vocemque iucundiorem nullam fore, pronuntiauit; quàm quæ laudes ſuas decantaſſet. Præcipuas Romano in proſcenio partes cùm agas roſciè, plauſum renuis: authoramenta laudum ſimul promereris, ſimul refugis: ſtimulos addis diſertis ingeniis, & mox frænum: planè vt hoc ipſum experiri ego ipſe videar in præſentia. Etenim cum nihil ardentiore quodam ſtudio, ac tam auidè cupiam, quàm in tui ornamenta animi laxare veluti in Olympico puluere dicendi habenas, occurris tu mihi ſingulari moderatione tua, ac ſupercilio, vul-

tuq;

tuq; ſeueriore impetum frangis. Abſtineo: eò vel maximè, quòd ſciam, non deeſſe, qui celebrent. Omnium ſcilicet gnara, ac nihil reticens Romana hæc Aula abundè refert, quanta cum approbatione, aſſenſuque mortalium, & qua morum grauitate vel in ipſo iuuentæ flore minores Inſulas procuraueris. Aſſertus ſubinde grauiſſimis S. Rotæ ſubſellijs cùm fueris, doctrinarum pondus, iudicij maturitatem, ſententiarum momenta, incorruptæ mentis robur, facundiam etiam hæc ipſa ſubſellia loquuntur: neque literarum monumenta diſſimulant, quibus & ipſis exiſtimationem non mediocrem, & famam tibi nominis peperiſſe immortalem viſus es, poſthumæ tuæ gloriæ candidatus, & ſuperſtes tui. Iam, Purpura, quæſita meritis, eloqui ſi vellet, non illi deerit ſuus color, vt dicat quàm ornatiſſimè magni pectoris ſapientiam, & quanta cum muneris dignitate publica in Auguſto Senatu cures commoda. In hoc verò concentu laudum adſonat Brixienſis Eccleſia, quæ pridem, te Antiſtite, te auſpice, religionis ſplendore ſacrorum cultu, diſciplina morum, obſeruantia legum cum primis floruit: vt non tam gratulata Vrbs ornatiſſima ſibi fuerit, cum te Parentem excepit, quàm à tui poſtea deſiderio, ſenſuque animi peracerbo doluit, cum abdicata Inſula, auulſumque ab ea Sede, te Roma poſtliminiò reuocauit: Vbi in omnium nunc oculis, ac animis perinde verſaris, vt non vna dilauderis lingua. Enimuerò id officij ſummo iure adminiſtras, vt cùm non vni genti mortalium Eccleſiarum cenſus, ac opes æqua lance diſpertias; Itali tibi, Hiſpani, Galli, Germani, ac remotior etiam Orbis certatim plaudunt: & hi quidem, ſi vo-

tis

tis annuas, beneficentiam : hi verò, vel cum negas, humanitatem deprædicant : ornare ſiquidem beneficium amœnitate quadam vultus cum ſcias, repulſam e iam quà frontis, quà verborum temperas comitate. Sed redeo ad Pontificum Mauſolea, quæ Tibi vt nuncuparem, priuatæ etiam rationes meæ ſuaſere. Ea nanque beneuolentia in me tua ſemper fuit, vt liberum iam mihi non eſſet, ac integrum, alium quempiam præter teipſum hiſce lucubratiunculis appellare. Scilicet, ad tuam me conſuetudinem ita aliquando admittis, vt penè infra purpuram affabilitate, comitateque incredibili te demittas. Ad hæc, Commentarios, Annaleſque noſtri Ordinis, à me concinnatos, percurriſſe, ac penè voraſſe, parum eſt, niſi & tuo etiam perhumaniter iudicio honeſtaſſes. Muſas deinde meas contubernio, ac Musèo tuo dignatas, audire interdum ad animi laxamentum non dedignaris. Par in reliquas vigilias meas, quæcumque illæ ſint, facilitas; vt ſcriptiones, auctoremque æquè ornes. Quid incomparabili hac ab inſigni Purpura humanitate, affectuq; pulchrius, ac magnificentius contigerit? Reſpondere pro modo debui : atque adeò qui obſeruantiam, animique obſequium pridem obtuli; munus nunc affero, ab ingenio quidem exiguum; ſed quod Tu facies amplitudine tua magnum, ac te dignum. Neque ea mihi mens, vt debitum diſſoluam; ſed, quod in iucundiſſimis computo, vt augeam; nouo videlicet beneficio cumulandus, æqua ſi fronte accipias. Interim Maximos Pontifices Tibi dum ſiſto, nullus, puto, erit, qui non in omen accipiat ſummæ fortunæ. Viue diù, & publicæ Chriſtianæ rei, & Felicitati Tuæ.

I e-

LECTORI BENEVOLO S.

VT ab aſſidua noſtrarum hiſtoriarum ſcriptione, extera legendo, laxarem tantiſper animum; diuertere aliquando ad Romanorum Pontificum hiſtorias contigit. Ingeneratur profectò ingenijs faſtidium, & quædam etiam irrepit ſcribentibus mora, idem ſi moneant ſemper, atque anxiùs ſaxum. Cum ſerijs, & cum opere ipſo miſcere ceu parerga ſtudiorum, nimium, quantum exhauſta commentando facultas erigitur, ac vegetatur; ceu quoddam otium ſit mutatus labor: atque adeò quieſcat, vacetque à ſtudijs, dum alijs identidem ſtudijs quis vacat. Ipſa verò Maximorum Pontificum monumenta percurrere; ſcire genus, patriam, mores, facta, eoſque veluti de vultu agnoſcere, animum perinde afficit, vt neſciam, an aliquid obijci mortalibus iucundius, ac pulchrius poſſit. Vides, abrupta nunquam ſerie, propagari regale Chriſti Sacerdotium, & vices: vides citra Pythagoræ fabulam immigraſſe in Succeſſores Petrum, ac Petri non modò Infulam, ſed hauſtos etiam Cælo animos perennare: vides ire per ſecula, tradita veluti per manus lampade, vim illam clauium, quibus parent Inferi, patent ſydera: tantæ cum iubare dignitatis vides extendi Sanctimoniam, religionem, maieſtatem. Quantum illud, per eos Commentarios tot cernere Sanctiores Numas, qui ſtatuta, ac leges non vni populo, ſed vniuerſo Chriſtiano orbi ferant? qui publicam religionem ita adminiſtrant, vt ora ipſa diuini Numinis, atque oracula repræſentent? qui Sacrorum principatum ſupercilio ſuo regant? Miraris, inermes profligare bella pacis artibus: Principum, Regumque impetus non armorum vi frangere, ſed nutu: qui aſtra tangere videbantur ſuperbiſſimi Cæſares, ad eorum prono vultu aduolui pedes. Contemplaris item in eiuſmodi hiſtorijs varios magnarum animarum impetus, ac multiplicem in confertiſſima ſummorum

Pa-

Patrum panegyri indolem. Huic propugnandæ religionis ſtudium ad cor: diuinorum illi nitor, & cultus antiquior: vni in monſtra hæreſum, alteri in portenta vitiorum vis robuſtior: procurat hic ſacra ſplendidè, ille mortalium mores quàm incitatiſſimè: ſunt, quibus transmarinæ expeditiones, ac Barbarorum clades propoſitæ: ſunt, qui Romanam tueri Ditionem, ac Cæli iura malint: pleroſque innocentia morum, non paucos vigor mentis commendat: hic prudens, hic ſanctior: cunctando hic reſtituit rem, ille paulò ardentior. Quid diſpari hoc virtutum concentu pulchrius? Quantò hæc vſurpare honeſtius, ac ſanctius, quàm dira Principum bella, mutuas populorum lanienas, regnorum excidia, decolores cædibus amnes, cruentas Ducum Laureas, triumphos Cæſarum? Igitur cum eiuſmodi Pontificum vitas ad quandam ſcripturientis calami intercapedinem, ac ſpiramentum identidem euoluerem; ſubijt animo, aliquem inde fructum decerpere, atque ita inter Pontifices verſari, vt illorum breuiore quodam ſtylo vultus ducerem, quos & ſæpiùs intuendo, voluptatem ipſe meam reguſtarem; & alijs etiam vno veluti intuitu contemplandos proponerem. Nam quorſum ſterilis illa in legendo voluptas? nihil ſibi demeteret in pulcherrima virtutum ſegete induſtria? Feriari hoc eſſet, otiarique, ac operam perdere. Hinc Commentariolis agere, ac delectu quodam præcipuam Pontificum indolem, ac facta, illigata veluti in nodum, paucis, nec ſine argutijs, atque ingenij ſtricturis exponere, in animum induxi meum. Nonitium hoc quidem inuentum, enatumque noſtro hoc æuo: Elogia videlicet, inſcriptioneſque ita adornare, vt dicas multa, & expedias te paucis: vt cum annona rerum verborum miſceas caritatem: vt ſententiarum copia breuitati lites: vt vibratis pulchrè ſententijs, punctim, non cæſim agas: vt cum cultu acumina ita innectas, vt cultus ipſe feriat, acumen ornet: vt elegantiam ſales condiant, addat ſalibus gratiam elegantia: lumina denique fulguris in morem, ſcissa ceu nube, erumpant non ſine motu, plauſuque legentium. Epigrammati perſimile, ſiue quandam epigrammatum congeriem eiuſmodi elogium dixeris; cum nul-

la

la ex ijs, quibus conſtat, ſemiperiodis, ſuum non habeat ab ingenio vibrans telum: nulla non fulguret, non ſubſiliat, non ludat egregiè; nec deſit arcanus quidam numerus, ac nota eruditis, politiſque auribus armonia, quæ proximè ad poeſim accedat. Iam verò, quàm difficile factu ſit, optima, atque ad vnguem expolita dare epigrammata, neminem, puto, latet. Inſit venuſtas, munditia, ac quædam feſtiuitas, neceſſe eſt, quæ nunquam non peracutè, nunquam non ex inopinato, ac veluti ab inſidijs ſubire legentium animos videatur. Breuitas in ijs præcipuè, atque adſtrictior vrbanitas commendatur, quam ita non in multis reperies, vt pauci teneant. Prætoriam nauim quiſque pictor aptè deſcripſerit; quis non illuminare auro puppim, vela ſuſpendere, antennis, remis, cæteroque inſtruere armamento ſciuerit? Verùm qui, contracta in anguſtum carina, puppi, prora, & quicquid nautici inſtrumenti eſt, eandem ita efformet, vt ſub exiguæ muſcæ alis tota lateat, aut velificet, rarus enimuerò ille erit pingendi artifex: Cuiuſmodi opificium vidit olim, teſte Plinio, cum plauſu antiquitas, æquè vehementer admirata, quòd non excederet muſcam nauis, & quòd æquaret nauim muſca. Ita de epigrammate ſtatuunt plerique omnes: planè vt non pauci è poetarum natione ſint, qui omnigenos verſus, fuſamque vena diuite poeſim pangunt quàm ingenioſiſſimè, quos deinde in epigrammate ſui deſtituunt nerui, atque arguta illa illecebra, & cuſpis, quæ tulit punctum. Quod ipſum aptiùs de hac ſtructura elogiorum dixeris, quę citra metrum, non citra dictionis concentum, non vnum continet epigramma; & quibus eadem elegantia, idem ſententiarum ſplendor, vrbanitas etiam, & curta ſtyli ſuppellex propoſita eſt. At enim de hoc dicendi genere nolim, Lector, exiſtimes, ita loqui me, veluti contractioris huiuſſce eloquentiæ articulos nouerim *ipſe* omnes. Apage in tanta mediocritate ingenij tantam ſui confidentiam. Innuimus hæc, vt intelligas, verſatum me in re difficillima, indigere legentium humanitate, quæ contenta paucis, id æqua fronte accipiat, quod tenuis ſubinde concinnare facultas mea potuit. Quam quidem tenuitatem dum frequentius expendo, deli-

berandum mihi diù fuit, an lucubratiunculas euulgarem? Non adeò quippe mea me ludunt, quin probè agnoſcam, quã-tum ineſſe illi iudicij, erectæque mentis debeat, qui ſententias ab intimo rerum ſinu extrahat, acres, viuidas, peregrinas, igneas, non vulgares, non frigidas; eaſdemque deinde eleganter, ſcitè, rotundè & paucis explicet: planè vt in hoc dictionis genere verſari non niſi is debeat, quem deſcripſit Horatius; de Poeta loquens.

Lib. 1. Satyr. 4. *Ingenium cui ſit, cui mens diuinior, atque os*
Magna ſonaturum.

A qua ipſe laude quàm longiſſimè cum abſim, cur publicæ mortalium luci exponerem, quæ ſua in nocte meliùs latent? Typos nihilominus auerſari cum videor, non adeò ſurdæ amicorum adhortamentis fuere aures, quin manus darem. Erit, qui ieiunas excuſet ſcriptiunculas; atque interim, ſi non argutè, compendio dixiſſe, non ingratum fortaſſe ijs erit, quibus non id otij, vt fuſiùs legant. Porrò quòd ſolenni in more poſitum eſt, vt tumulis præſertim præſtantium virorum virtus inſcribatur; nullibi facundiores fore Pontificum laudes putaui, quàm vbi muti eorum Manes iacent. Inſpiraſſe hoc erit extincto cineri ſpiraculum vitæ; vt dum receptus Cælo ſpiritus viuit, non totum mori contingat, quod mortale erat, ab inſcripta nempè virtute animatum. Impulit verò me ad hæc Pontificum elogia, ea potiſſimùm cauſa, quòd nemo hactenus, quod ipſe ſciuerim, hanc ſibi prouinciam delegerit. Pauca, ac ſparſim apud Ciacconium leguntur eiuſmodi epitaphia. Qui extat in Altempſiana bibliotheca, ab ipſo Ciacconio laudatus codex, verſibus quidem, at ieiunè Pontifices exornat, nec ſanè multos. Agit præterea Romæ vir ſanè eruditus, atq; ab Horatianæ concentu lyræ laudatiſſimus, Iacobus Albanus Ghibbeſius, qui ornando Bernardini Cardinalis Spadę Xyſto, eiuſdem ampliſſimi Cardinalis nutu Pinacothecam Spadiam, ſiue Romanorum Pontificum feriem, vitamque concinnauit; elegantiſſimè id quidem, ſed quàm breuiſſimè, complexus nempè ſingulos intra ducenteſimam, & quinquageſimam literam: id quod à tanti præſertim viri calamo excitaſſe præclaro quodam libamento guſtum fuit. Itaque laborem hunc integrum

grum in hoc ſcriptionis genere viſi nos occupaſſe; atque omnium,quotquot à Pontificum Pontifice Chriſto,eiuſque Vicario Apoſtolorum Principe fuere,Pontificum tumulos loquentes fecimus, excerpta videlicet, vti monuimus,inſigni virtute. Cum hac autem Maximorum Patrum ſerie iuuit Cæſares,Regeſque Auſtriacos nectere, iiſque ſuas adornare ſepulcrales moles,non ære,ac marmore, ſed Principum ſolijs,victoriarum manubijs, laurearum ſyluis, gentium trophæis compactiles. In tanto rerum ſplendore metiri ingenium, ac ſtylum nolui: gnarus, Auſtriacum ipſum nomen,famamque rerum pulcherrimarum abundè expolire, quicquid impar aliorum facultas lucubrauerit: nulla quippe vberior dictionis copia, ac ſplendidior cultus,quàm inſita Genti maieſtas; aucta tot imperijs virtus; iuncta vni ſceptro tot diſſita mundi climata, atque extrema terrarum; indignata Oceani, naturæque clauſtra Heroum gloria: hæc nempè lumina orationis,hæc ſtyli vbertas, hic nitor. Faſtidium præterea vt minuerem,vti varietate volui: placuitque inter ſoluta oratione inſcriptiones miſcere numeros,ac varia carminum genera.Voluptati profectò erit, aliquam offendere interdum Muſam,quæ guſtum erigat cantu, narretque poeticè acta Pontificum, ac Cæſarum. Hoc verò quicquid eſt ſcriptionis,quòd Mauſolea appellauerim,tantorum Capitum ſplendori,ac maieſtati tribuas,Lector, quæ ſanctimoniæ cultu, ac magnificentia laudum ipſa ſibi, auguſtoque ſuo cineri ſumptuoſa excitant ſepulcra. Nam quid ab exiguo meo cenſu eximij operis,aut peregrini marmoris Maximi Pontifices,Romanique Imperatores ſibi adpromiſerint? Non ea induſtria noſtra,ac labor eſt, vt exornare molibus inclytam illorum memoriam valeat. Pyramis, columnæ, æternumque Mauſoleum ſua ſunt ijs decora, atque ornamenta magni pectoris, quæ ſimul monumenta ijs erigunt, ſimul diſertè inſcribunt; vt longè copioſius virtus illos celebret quàm noſtræ literæ.

Mauſolea

O D E

O qui Latinis Numina faſcibus
Æquaſtis olim, cùm caput arduum
Torquere Cælum, mundi & axem
Non timuit ſubijſſe ceruix:
Quæ vaſta dorſo machina ſyderum
Et pondus orbis vertice ſederat,
Libraſtis æqua lance, fræna
Romuleæ & tenuiſtis Aulæ
Manu irretorta. Non chlamys aureo
Diffuſa limbo, vittaque grandior,
Latè micantis ſeu Tiaræ
Margaris, aut rutilans pyropus
Terris verendos fecit; & inclytos
Plantis coegit figere Principes
Vultuſque, & ora, & proniore
Obſequij dare ſigna cultu.
Quid gemma iuuit! Numinis extimæ
Inuſta fronti vis penetrabilis,
Arcanus & fulgor Tonantis
Ora dedit metuenda terris.
Hinc ſceptra veſtris aurea Cæſarum
Subiecta ſceptris; tergeminuſque apex
Spectatus orbi; hinc & timendo
Regna ſupercilio ſubacta.
Regnare noſtis blandiùs; improbos
Mulctare noſtis fulmine tortili:
Miſcere vultus mitiores,
Et Nemeſim placuit ſeueram.

Anhela tandem pondere ſub graui
Virtus fatiſcit; penſa volubilis
Abſoluit æui Clotho, fila &
Diſſecuit pretioſa vitæ.
Receptus aſtris ſpiritus igneis,
Deoque merſus, pocula nectaris
Exſorbet, & curis ſolutus
Sydereis ſpatiatur oris.
Stat nempè Cælo laurea frontibus
Sudata terris. Herculeus labor,
Qui dira fudit monſtra, nunquam
Æthereum haud peperit triumphum.
At lauta merces ne Cineri sacro,
Nec iuſta deſint præmia Manibus,
Queis olim arena, & circus, atque
Sæpè ſuæ caluere pugnæ;
Me clara veſtri gloria nominis,
Et celſa virtus impulit, ardua
Vt mole conſtructa ſepulcri,
Magnificè monumenta ponam.
Quæ nunc Chariſtos, quæ niueas Paros
Diſſecta venas, marmora mutuet?
Aut quæ focis incumbet alto
Iſthmiacis operi Corinthus?
Quis & docebit ſplendidus artifex
Spirare cautes vulnere nobili?
Quis Phidias, quis muta doctus
Praxiteles animare ſaxa?
Non vena nobis fertilis ingeni,
Vigorque mentis, ſydera Pyramis
Vt lambat, & puluis ſuperbo
Fulgeat in tumulo verendus.
Peccauit audax dextera, molibus
Impar vetùſtæ Mempheos: ingeni
Mulctare noxam æquum eſt, ſtylumque
Abijcio malè feriatum.

Eiuſ-

Eiuſdem

EPIGRAMMA.

Pontificum lectas acies, adſtrictaque nodo
    Facta breui, calamo candidiore damus.
Iuuit acu tenui res tangere; iuuit & acri
    Cuſpide, & argutis verba acuiſſe modis.
Vocale eſt marmor; tacita loquiturque ſepultus
    Voce cinis; Manes laudat & vrna ſuos.
Et nunc Pierio reſonat facundia plectro;
    Nunc facili currit lingua ſoluta pede.
Alterno iuuat ore loqui: ſic nempe iacentes
    Aures arrigimus, grata animoſque vice.
Parcite nunc, Animæ magnæ, ſi grandia parcè
    Extulimus, gyro & clauſimus illa breui.
Forſan creſcet honos anguſto à margine, pridem
    Creuit vt Iliadi gloria, clauſa nuce.



IVſſu Adm. R. Patris D. Petri Pauli Nobilioni noſtræ Congregationis Præpoſiti Generalis attentè percurrimus librum,cui Titulus *Mauſolea Romanorum Pontificum*, & *Cæſarum Regumque Auſtriacorum* Auctore Ioſepho Silos &c. nihilque in eo offendimus, quod rectæ Fidei, aut bonis moribus aduerſetur: Quapropter vt ſummè honeſtum, vtilem, ac delectabilem, prælo dignum exiſtimamus.

Romæ in domo Quirinali S.Siluestri die 24. Aprilis 1669.

D. Hieronymus Vitalis C. R. S. T. D.
D.Carolus de Loffredo C. R. S. T. D. & Prof.

D. PETRVS PAVLVS NOBILIONVS
Præpoſitus Gen. Cleric. Regularium.

Opus inſcriptum, *Mauſolea Romanorum Pontificum*, & *Cæſarum, Regumque Auſtriacorum*, à P. D. Ioſepho Sylos compoſitum; & iuxtà aſſertionem Patrum, quibus id commiſimus, approbatum; vt Typis mandetur, quod ad nos ſpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem &c. Datum Romæ 24. Auguſti 1669.

D.Petrus Paulus Nobilionus Præp.Gen.Cler.Reg.

D. Caietanus Cizaletti Secret. C. R.

M*Auſolea Romanorum Pontificum, & Cæſarum Regumque Auſtriacorum* ab Adm. Reuer. Patre Ioſepho Silos Bituntino Clerico Regulari eleganter, ingenioſeque elaborata, cum nec fidei, nec bonis moribus aduerſentur, adprobationem merentur, & commendationem

Ita cenſeo Ignatius Bomplanus Soc. Ieſu.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. Patr. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

I. de Angelis Arch. Vrb. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Sacr. Palat. Apoſt. Magiſt.

MAVSOLEA
ROMANORVM PONTIFICVM.
AD CHRISTI DOMINI
Maximorum Pontificum Maximi Pontificis

Tumulum

INSCRIPTIO.

Conſepultum hic olim immortalem Deum;
Æternumque Pontificem,
Si quæris,
Non eſt hic, ſurrexit.
Mortuus, rediuiuus,
Pelicanus in Cruce fuit, in ſepulcro phœnix.
Tandiù eius hic iacuere exuuiæ,
Quoad exuuias raperet Inferorum.
Triumphalis hic ſomnus fuit,
Palmaris quies.
Dormienti olim Timotheo captiuas vrbes, ac regna
Vltro fortuna afferebat:
Dormiens in ſepulcro Saluator,
Ipſemet ſibi Herebi regna ſubijcit, debellatque.
Proh Deum!

Sordet nunc ſepulcrum glorioſum:
Lectulus Salomonis, in quo exanimis decubuit vita,
Seruitio, ſæuitia Thracum premitur.
Cunas vagientis Dei Verbi,
Quæ naſcenti Religioni fuere communes,
A Barbarorum manibus Roma eripuit.
Ædes Nazarenæ in Italiam peregrinantur,
Quæ nunc commune peregrinantis Orbis perfugium.
Crux, & cætera inſtrumenta diuinæ necis,
Piè diſcerpta,
Nullam non Orbis regionem beant.
Hoc ſolũmodò ſepulcrũ remanſit inter barbaros conſepultũ.
Excitare olimPrincipes,atq;animare hic tumulus videbatur,
Vt contumulatis mutuis in eo odijs,
Percuſsoque fœdere, pro eo certarent.
Teſtis decolor, ſordiduſque à cædibus Iordanis,
Quem non ſuæ ipſæ eluerent vndæ.
Teſtis ſuas inter palmas triumphata toties Palæſtina.
Languit nunc ea virtus:
Ac facile fuit, quando pro ſepulcro res erat,
In cinerem abire generoſum magnarum animatum ignem.
At quoniam nulla efferatæ Gentis iniuria
Abradi ab hoc marmore
Inuſta ſemel diuinitas potuit;
Venerare hoc, Hoſpes, in tumulo,
Non cinerem, non puluerem,
Sed iubar extincti Numinis.
Saxum, manante iugiter lacruma, excaua:
Tumulum in tumulo fodias tuo gemitu:
Vt veterem hic hominem,
Et ſepelias, & repares.

Ad

AD PETRI APOSTOLOR. PRINCIPIS, & Pontificum Primi

Tumulùm

INSCRIPTIO I.

Quod hic vides illuſtre monumentum, *Pont. I.*
Duo Maximi Pontifices *Chriſ.*
Maximo Pontificum Anteſignano *an.33.*
Paulus, Vrbanus allaborarunt.
Tanto Cineri exornando non ſatis vnus Pontifex erat.
Alter teſſellato marmore ima procurauit:
Suprema alter ære, ac auro:
Vtrobique materia, & opus miraculo proxima,
Aut inter ſeſe certant,
Aut mutuis ſplendoribus fœderantur,
Vt qui in pace Apoſtolorum Principis hic dormiunt Manes,
Ab eo certamine ſplendidiùs conquieſcant.
E mari vocatus piſcatum mutat Petrus.
Feliciùs in terris animas, quàm in mari piſces capit.
Eloqui ſi poſſent muti piſces,
Translatam ad homines ſortem ſuam conquererentur,
Nihil illi cum mobili pelago,
Cui à Petræ ſoliditate nomen.
Fundandæ Chriſtianæ Religioni hic iacitur Lapis.
E' Simone Cephas,
Fundamentum ſimul, & apex eſt.
Hanc verò dum conſtruit molem, Capitolium deſtruit.
Proſtratum olim grande Simulacrum, cùi caput aureum,
Ad pedes dum fertur lapis:
Alter nunc lapis, non pedes,

Sed Romani corporis caput aureum percutit;
Romamque, ac Cæſarum potentiam ſternit.
In ruinis hiſce erigitur Crucis Labarum,
Ac ſupra ſeptenos colles Chriſti Solium.
Hinc terris Petrus dominatur, hinc Cælo;
Cuius illi creditas claues
Nullus putauerit adulterinas,
Quando ipſe Cæli Dominus dederit:
Harum vi clauium
An Cælum fecerit ſuum Petrus;
Docet è Cælo proturbatus à Simone Simon:
Num inuito Petro,
Cuius erant Sydera, & Cælum,
Conſcenderet ſydera, & Cælum Magus ille?
Quid? an ſuſtulit Petrum Nero?
Fallimur.
Superſtes Ille in Succeſſoribus adhuc Orbem portat:
Quaſſat ea manus adhuc ſceptrum:
Reges, Cæſares ſupercilio adhuc terret.
A vili ſupplicio
Ne aliquid de ſummi Principis Maieſtate
Detractum putes:
In Cruce extenditur Petrus, non minuitur.
Inuerſo capite moritur:
Scilicet, ſemper propior eſt terris ea mens;
Etſi pedibus Cælum petit.
Exuuiæ verò in hoc Mauſoleo ita latent,
Vt adeuntium venerationi proſtent.
Auet quiſque terere prona fronte, ac oſculis
Aurum, æra, marmora,
Quæ non beatis Oſſibus pretium faciunt,
Sed ſuum ipſa augent
A beatis Oſſibus decus.

AD LINI PONTIFICIS
Tumulum
INSCRIPTIO II.

Quàm Petro gratum à viciniore tumulo
Miſcere penè cum Lino cinerem; *Pôt.II. Chriſti an.68.*
Tam decorum Lino proximè adiacere Petro;
Secundus hic à Petro Pontifex,
Nulli, præterquam Petro, ſecundus fuit.
Quid grandius, quam ab ipſa Petri manu
Accepiſſe Petri claues, & ſceptra terrarum?
Quantum eſt, Petri deſiderium,
Arrepta mundi Inſula, lenire Linum?
Suppleuiſſe ceruices, & vices Petri?
Huic Atlanti ſucceſſiſſe hunc Herculem?
Graue pondus eſt ipſa Cæli, terræque moles:
Hoc Lino grauius,
Reſpondere tanto Capiti debere,
Ac ſimilem, vt dignitate, ita & ſanctitate Petro eſse,
At reſpondit Pontifici Pontifex.
Ire per veſtigia Petri adhuc penè ſuperſtitis
Linus potuit,
Arſitque, mutuatus à calente adhuc Petri cinere flammam.
De Petro ſcribit, dum ſcribenda ipſe facit.
Ea illi in Herebum vis,
Vt nutu rebelles genios debellaret:
Ea virtus, vt quos vorauerat tumulus mortuos,
Eius eriperet faucibus rediuiuos.
Mulieres templa ingredi ſi cuperent,
Velari caput iuſſit.
Nempè, vt dignas aſpectu Numinis faceret,

Ve-

Velo tegit:
Et ne deſpici contingeret, dum vellent aſpici.
Planè hæc honeſtatis galea,
Nempè velum.
Hoc Pontifice,
Exciſæ Hieroſolymę, exuſtumque in ijs templum.
Scilicet, ſurgente Chriſtiana Roma,
Euaneſcere debuit profana Hieroſolyma:
Enatumque eſt è veteris templi buſto,
Vaticanum templum, templorum phœnix.
At in ſimulacra Numinum dum declamat Linus,
Ipſummet impij cuſtodes dirè immolant:
Habuitque à cultro cultum Martyris.

AD CLETI PONTIFICIS

Tumulum

INSCRIPTIO III.

Pont. III. Chriſt. an.79.

Inclytus hac Cletus, patria Romanus, in vrna
Conditur, exuuijs quam beat ipſe ſuis.
In Latium vectus, flauique ad littora Tybris,
Retia dum Petrus proijcit, hic capitur.
Nomina dat Chriſto Cletus, Nauique receptus,
Mox illam intrepido pectore & ipſe regit.
Sydera proſpectat cautus: criſpantibus vndis
Nec fidit, terret nec grauis ira maris.
Prouidus has vitat, velis has arripit auras,
Doctus iura notis dicere, iura freto.

Su-

Sublimi ſtat puppe fides : Sapientia clauum
Tractat, remigium mens operoſa mouet.
Nec fugit interea fluctus, ſcopuloſque procellasque,
Inque ſuo merſus ſanguine fata ſubit.
Improbus hoc iuſſit Cæſar, cui dira cupido,
Sit ſimul vt Rector naufragus, atque ratis.
Fallitur: iratum tranat nam tutiùs æquor
Hæc Ratis, & Rector naufragus aſtra petit.
Spiritus aſtra petit: nam noluit oſſa, pioſque
Manes à Petri Manibus eſſe procul.

AD CLEMENTIS PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO IV.

Clemens Primus Max. Pontifex *Pont.*
Nactus olim in pelago tumulum, *I V.*
Terras nunc beat ſuo cinere. *Chriſt.*
Natus Romæ in regione Cælij Montis, *an.79.*
Futurus Inſula *Cælio* ipſo Monte ſublimior,
Ac Cœlo propior.
Sanguis *Cæſarum*,
Viſus tanta dignus origine, quod contempſerit:
Romanæ Eccleſiæ gemellus cum ipſa natus,
Poſtquam priſtinum Clementem
Vndis luſtralibus Petrus merſit.
Adminiſter Petri, auditor Pauli;
Ex vtroque vnus conflari debuit Clemens,

Qui

Qui poſtea cum Petro regeret, cum Paulo erudiret;
Pontificia inſtituit ornamenta,
Vt oculos diuerberaret vibrans in Infulis virtus;
Agnoſcerentque in honore vittatæ frontis
Collatas Capiti vices, & vim Numinis.
Rudimenta naſcentis Eccleſiæ lingua expoliebat, & calamo:
Aequè facundus, ſeu tacitus ſcriberet,
Seu loqueretur diſertus.
Sunt in pretio ipſa nunc Scriptionis fragmenta;
Vt agnoſcas à ſcribentis non manu, ſed digito,
Fundentem olim monſtra Herculem.
Vt exulent Romà idola, ac ſuperſtitio, dum curat,
Trans mare Ponticum ipſe exulat.
Inter Euxini hyemes, ac tempeſtates nihil illo ſerenius:
Illò ductus, vbi centena Chriſtianorum millia
Secabant marmora,
Quouis ille marmore durior, ſi pectus inſpicias.
Cherſonæ ſolitudinem
In hortorum àmœnitatem ſui præſentia ſtatim vertit;
Nec defuere ad delicias ſalientes aquæ,
Erumpentibus mox ad ſitientium leuamentum vndis;
Viſus nempè manaſſe ab Agni pede fons,
Veriùs, quàm ab Equi vngula.
Gliſcente hinc fide,
Erupere præ lætitia è Clementis oculis fontes:
Veluti & ipſa vellet abluere lachryma,
Qui ad baptiſmum mortales confluerent.
Quæ reſtinguere flammam vnda debuit, adauxit;
Excandeſcente ad hæc Cæſare:
uſſitque, ſuſpenſa ad collum anchora, Clementem mergi.
Bonum factum.
Euaſit in nauigium anchora.
Hac Ille in Cælum velificat feliciſſimè.
Quos pertimeſceret fluctus firmatus anchora?
Anchoram habet? ſecurus pelagi eſt.

Quod

Quòd ſi merſit hæc anchora Clementem,
Sic merſiſse, inuexiſſe in portum fuit.
Sed ecce tibi ſpectaculum planè iucundiſſimum.
Ad quandam veluti reuerentiam recedente pelago,
Templum comperiunt, cultum marmore,
Quod non dixeris fundatum in arena.
In templo tumulus Clementem exceperat,
Conſepultum ſemel vnda, & iterum vrna.
Propè aderat ſacra anchora:
Aderat nempè immerſabili Pignori, quod merſerat.
Vides, addi pelagi monſtris portenta.
Vides, congeminari Ionas:
Alter templo exceptus, dum mergitur:
Alter Cœtum in templum mutat, dum orat.
Vni pro vrna fuit aluus Belluæ:
Alteri vrna pro aluo Belluæ.
At diù moratur Cherſonæ Clemens,
Sua fortè detentus anchora.
Tandem ſeptingentis poſt annis Romam redit.
Venientem tumulo condit, qui cunas dederat,
Mons Cælius.
Hic anchoram iecit ſuam.

AD ANACLETI PONTIFICIS I.

Tumulum

INSCRIPTIO V.

Anacletus Pontifex Quintus,
Pont. V. Monumentum hoc ornat ſplendidiſſimè ſuo puluere.
Ann. D. Athenis natum Græciæ inuidit Roma,
100. Summisque inſignibus cohoneſtauit.
Quæ tempora ſuis fortunat moribus Traianus Princeps,
Conſecrat ſanctimonia Anacletus.
Petri adminiſter, poſtea ſucceſsor,
Id efficit, vt Romanæ Cathedræ non deeſset Petrus,
Expreſsâ ad vnguem ideâ illâ mentis.
Eccleſiæ infantiam præclaris educat inſtitutis,
Creſcentemque vt aleret;
Ad vſum, eſumque diuini Corporis
Chriſti fideles cogit.
Mira ſunt, quæ dixit, fecit; ſcripſit,
Fœderatis lingua, manu, calamo.
Poſtremò quem prolixior fatigauerat labor,
Quietem illi indulſit dirus enſis,
Abſciſſis Traiani iuſſu ceruicibus,
Facili quidem ictu,
Quamquam ferendo oneri occalluiſſent.
Præiuerat Romana in arena Antiochenus Ignatius,
Suſpenſum is theatrum habuit,
Alacriùs ipſe tormenta vorauerit, an Leones ipſum?
Hoc pulchrum:
Certaſſe cum Leonibus voracitate, & fame.
Sed Antiochiam, diſcerptus, redijt Ignatius;
Anacletus obtruncatus, hæſit Romæ:
Quam vel exiguo tutatur cinere.

AD EVARISTI PONTIFICIS

Tumulum

INSCRIPTIO VI.

Qui viuens accedere propiùs Petro ſtuduit
Vitæ ſanctimonia, *Pot. VI.*
Meritò prope Petrum iacere debuit extinctus. *Ann. D.*
Nomen, quod ſignificat Optimum, 110.
Nulli meliùs, quàm illi congruit.
Qui perinde erat virtute Optimus,
Vt meruerit eſſe Infula Maximus.
Patria Bethlemites fuit.
Id ſcilicet loci natus,
Vbi naſci Deus debuit, ſi naſci voluit.
Reptare per Chriſti cunas nequijt Euariſtus,
Quin adultam virtutis indolem ſibi inde decerperet:
Expreſſa etiam ab infantia diuini Numinis
Innocentia morum.
Pontifex renuntiatus,
Qui animum iam compoſuerat ſuum,
Publicam rem Romanam ſubinde compoſuit.
Vrbem Presbyteris partitur,
Eorum nempe vigilijs, non commodis:
Vt diſtractas, diuiſaſque Ciuium ærumnas
Certiùs profligarent.
Altaria ex lapide, ac Sacerdotum dedicata precibus voluit:
Vt tantæ molis Hoſtiæ ſolidus ſufficeret lapis;
Nec lapidi deeſſet par Victimæ à precibus dignitas.
Palam item celebrari connubia edixit;
Vt luce fulgeret ſua tæda Connubialis:
Nec clandeſtinus thalamus arcanum aliquod crimen

Aut tegeret, aut fœcundus pareret.
Præcipuè vt idola gentiũ conuelleret, aſſidua contendit voce.
Scit mollis lingua conterere profana marmora,
Eam ſi animet cæleſtis eloquentia.
At frangere Deorum ſimulacra potuit Euariſtus:
Refractaria Cæſarum pectora non potuit.
Damnatur ſecuri, ſecurus ſui, gloriæque.
Poſt octauum Pontificatus annum,
Datis ceruicibus, cecidit Vittatum Caput.
Obtruncatus Pontifex Vaticani non reliquit Sedem:
Nec relinquet hærens hic magnum Pignus.

AD ALEXANDRI PRIMI

Tumulum.

INSCRIPTIO VII.

Primus Alexander, ſed Clauiger ætheris alti
Pont. VII. Ann. D. 118. Septimus à Petro hic latitat: Rex nempe ſacrorum
Summus, cui rubuit chlamys aurea ſanguine fuſo.
Digna loco virtus. Is pectore viuidus ardor,
Is lingua, vt Chriſti aſſertor præferuidus eſſet.
Luſtralem inſtituit laticem: ſic tecta fugandis
Hoſtibus infernis munit: maculiſque luendis
Fontem aperit templis, atque vltrò adeuntibus offert.
Aureus vtque calix ſacra ad myſteria purum
Miſceret puro, iuſſit cum fonte phalernum.
Olim nimirum pulchro ſic fœdere Chriſti
E latere immixtum fluxit cum ſanguine flumen.

Abijcit & fermenta aris: vult ductile Numen
In Cererem vt traheret puram grandi ore Miniſter.
Sic litat æternus ſuprema nocte Sacerdos:
Sic Myſtæ faciunt primi, ſtatuuntque, iubentque.
At ſerit ore fidem facundo: hinc agmina mille
Agmina Chriſtiadum cumulant. Plebs ima, Senator
Certatim Chriſto ſubmittunt colla; recepta
Luce noua, luſæ pulſaque caligine mentis.
Dira ſuperſtitio hinc ardet: cum Cæſare Iudex
Conſpirat: ſæuo certat cum Iudice lictor.
Nec mora: prædura diuexat compede cæcus
Carcer Alexandrum: mox torquet equuleus, atque
Vngula dilaniat: mollem tum ſpiſſa cruentat,
Perforat atque cutim cuſpis: poſt vulnera mille
Immitis tandem detruncat colla ſecuris:
Prælia Alexandri ſua vincunt nempè Latini,
Hoſtibus haud fuſis, pulchra ſed morte, ferendo.
Victrices fouet exuuias, Maneſque reſectos
Inclyta componit tumulo Matrona, Seueram
Appellant: ſed nulla fuit clementior illa.

AD SIXTI PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO VIII.

Siſte hic ad tumulum parumper, hoſpes,
Sixti; nec pigeat Parentis almi
Gentis Romuleæ breui decoras
Hoc in marmore repperiſſe laudes.
Cunas dat patrias Latina Roma:
Hoc mundi è capite hauſit ille puram
Abundè ſapientiæ medullam.
Eſt & nobile pectus, indoleſque
Comis: pauperiem iuuat, fouetque:
Sacris mirificè ſtudet, piiſque
Aram ritibus auget, & Synaxim.
Olim ſcilicet incruentus Agnus
Sacratur tenui, breuique cultu,
Et myſteria nuda obit Sacerdos.
Verùm relligio Patrum ſubinde
Ritus amplificat, preces & auget,
Appinguntque operi parerga Magno.
Sixtus Triſagium addidit verendum:
Carmen ſcilicet, ore quod diſerto
Cælo ſyderei canunt Olores.
Dira hæc tempora cædibus redundant:
It per Chriſtiadum frequens ſecuris
Colla, & feruet opus cruore multo.
Hinc Sixtum lacerat coruſcus enſis,
Ceruixque aurea purpuraſcit oſtro.
Inſedit ſolio nouem per annos.
At iam ſecula longa ter beatus
Sixtus hac latuit ſepultus vrna.

AD TELE-

AD TELESPHORI PONTIFICIS Tumulum

INSCRIPTIO IX.

Teleſphorus Pontifex Græco Italus
E nemorum vmbris in Solem, lucemque euocatus, *Pont.*
Siluulas cum Infulis commutauit. *I X.*
De eo ieiunè hoc marmor loquitur, *Ann.D.*
Qui ſolenne induxit Vniuerſitati fidelium ieiunium. *139.*
Inſtituerant Quadragenariam hanc abſtinentiæ periodum
Ad animarum alimenta Apoſtoli.
Sed obſoletam Teleſphorus inſtaurat,
Redijtque verna hæc temperantia, an temperies?
Vt pulchriùs efflorеſceret virtus.
Planè nihil ad Eccleſiæ formam adaugendam aptius,
Quàm à ieiunio ſqualor, ac pallor.
Ternam deinde in Natalitijs Chriſti ferijs litationem
Ter magno debemus Teleſphoro.
Scilicet, publica iſthæc lætitia nō vno excipi conuiuio debuit:
Ac congeminari ad aram victimas, par fuit,
Dei Agno è Cælo delapſo.
Eiuſmodi pleraque perſanctè Teleſphorus ſtatuit:
Cum interim informes adhuc Chriſtianorum mores
Lingua expoliret.
At dum propagandæ Religioni vacat,
Creſcente Deo ſobole,
Decreſcit Parens ipſe, minutus capite.
Furentibus nanque Gentilium Sacerdotibus,
Hanc immolant, abſciſſis ceruicibus, hoſtiam.
Vittatos, inuictos Manes ſinu excipit Vaticanus.

AD HY-

AD HYGINI PONTIFICIS
Tumulum
INSCRIPTIO X.

Hyginus Romanus Pontifex
Pont. X Non ita in Cælum abijt totus,
Ann.D. Quin ſui dimidium reliquerit terris:
150. Vtrobique tuendæ, ornandæque Eccleſiæ æquè opportunus.
Athenæ dedere Romæ:
Iunxitque is admirabili planè nexu,
Quicquid ſanctimoniæ Romæ,
Quicquid eſſet Athenis eruditionis.
Pontifex inauguratus,
Id agit, vt ſui eſſent in publica re Chriſtiana gradus:
Hi præeſſent, hi ſubeſſent.
Hinc Cardinalibus onus, & honor nominis,
Quos poſtea ita ornauit purpura,
Vt erubeſcerent, niſi reſponderent indole.
Scilicet, nil inconcinnius,
Quam regius color, qui non item regijs moribus purpuraſcat.
Dibapham nanque oportet eſſe purpuram,
Hoc eſt, Tyrio ſucco, & virtutis murice bis tinctam.
Præclara & alia Conſulta edidit,
Quæ communi rei conſulerent.
Epiſtolam de Sacra Triade, & de Corporato Dei Verbo
Ad omnes Chriſti fideles ſcripſit:
Quid hac mirabilius facundia?
Siue vltra ſydera aſſurgat ad Deum Trinum,
Siue infra Cælum ſeſe demittat ad hominem Deum,
Perindè ſublimis videri poterit.
Iuſtinum, inclytum Martyrem, nobilem Philoſophum,
Ora-

Orationes apologeticas duas:
Alteram ad S.P.Q.R. alteram ad Antoninum Pium Cæſarem
Vt conſcriberet, cohortatus,
Id euicit, vt miteſcerent in Chriſtianum nomen
Ferociores illæ Belluæ.
Sileat Orpheos ſuos fabula.
Mutis literis Leones exarmaſſe,
Plus eſt, quam concentu, ac fidibus.
At enim exuerit licet ferociam Pius Cæſar,
Coronari tamen meruit Hyginus Pontifex:
Placuitque decerpta ferro laurea;
Ac laureata ſuo ſanguine felicitas.

AD PII PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO XI.

Incaleſcere Piorum apprecationibus marmor hoc poſcit:
Iacet nempè hic Pius Sanctiſſimus Pontifex, *Pöt. XI*
Cui æquè inſita pectori, ac nomini pietas. *Ann. D.*
E regione Veneta Aquileienſis, 154.
Velut aquilæ pullus ad publicæ lucis experimentum,
Ex Aquileia Romam euolauit.
Lectuſque Pontifex eſt ſub Antonino Pio Pius.
Pro Paſchate celebrando in Aſianos Epiſcopos piè certat:
Viſusque in Chriſti ſepulcro litem contu mulaſſe,
Affixo ſolenni Anaſtaſis myſterio diei Dominico,
Atque inumbrata Quarta decima Luna.

Planè quæ maculoſa eſt Luna,
Viſa nunc cum Quartadecimanis erubuiſſe.
Paſtoris germani fratris ædes conſecrat.
In hoc Paſtoris templo pleræque enatæ Chriſti oues,
Pij nempè manu piacularibus vndis initiatæ.
Has inter lectiſſimarum par ſororum fuit,
Praxedes, & Pudentiana cum centenaria Familia.
Nimirum hunc Euangelicum illum Paſtorem dixeris,
Qui habuit centum oues.
Vt altaris myſteria perſtudiosè tractarentur,
Pœnam ijs ſtatuit,quibus aliquid diuini Sanguinis decidiſſet.
Fuſo olim Chriſti ſanguine,reos abſoluit diuina charitas:
Nunc qui iterum fuderit, reus eſt ſanguinis.
Poſt Pontificatus decennium deceſſit Pius.
Iacet hic vita functus, Sanctimonia ſuperſtes.

AD ANICETI PONTIFICIS

Tumulum

INSCRIPTIO XII.

Pont. XII. Ann. D. 165.

Puluinar hoc dixeris veterum more, non tumulum.
Anicetus hic dormit,
Maximus Pontifex, Martyr inclytus.
Natione Syrus, aſportauit Romam
Tranſmarinis mercibus longè pretioſiorem animam.
Digna illi Petri Sede virtus:
Digna ea virtute Petri Sedes.
Emendare legibus mores ſtatim cœpit.

Ne Clerici nutrirent comam, cauit:
Exemplo vicinioris comæ errabundæ
Errare nimirum caput poterat.
Cæſam proinde cæſariem voluit,
Ne quid muliebre oſtentaret in viris Coma:
Neue pro Myſta accederet aræ cincinnatus Paris.
Nam quid turpius,
Quàm Comatulus, qui ſibi videri pulcher vult, Sacerdos?
Eraſum item in orbem verticem
Geſtari ab ijs voluit,
Corona ea eſt.
Vt colligas inde, pares Regibus Sacerdotes eſſe:
Maiores etiam, cum illi rarò coronam ſuam geſtēt, hi ſemper.
Hierarchicam etiam Politiam expoliuit.
Epiſcopos quis inauguret,
Archiepiſcopos quis iudicet,
Primates qui dicantur, ſtatuit.
Ne certare tiaras tiaris contingeret,
Eſſetque ſua cuique dignitati dignitas.
Porrò dum iugulandæ ſuperſtitioni vacat
Dat Marci Aurelij ferro iugulum
Generoſus Pontifex.
Qui, ne vaporarent idolis thura vetuit;
Hæc ipſe,
Vt ad ſuũ hunc flagrarent, fragrarentq; tumulum, promeruit.

AD SOTERIS PONTIFICIS

Tumulum

INSCRIPTIO XIII.

Pont. XIII. Chr. an. 175.

Vt cineres, Maneſque pios, ſic facta videtur
Splendida Soteris contumulaſſe lapis.
Quæ peragit, Faſti ſiluere, & pauca diſerti
Annales linguâ vix retulere breui.
Editur in Latio, dant & cunabula Fundi:
Eſt Comis, ſermo cultus ab ore fluit.
Vna haud lege cauet ſacris: ne thura miniſtret,
Ne tractet pallas innuba Virgo, vetat.
Aram ieiuno ad ſacram litet ore Sacerdos:
Ieiuniſque pias diuidat ipſe dapes.
Coniugis ad thalamos Sponſam vetat ire maritos,
Hæc niſi connubij fœdera Myſta ſacret.
Impius interea Montanus, transfuga Chriſti,
Pectore ab inſano dira venena vomit.
Et iungit Socios, ceu Montes Montibus addat,
More Gygantæo ſydera vt alta petat.
Aduigilat Soter: ſed mox petit aſtra, tueri
Fulmineâ propiùs ceu velit aſtra manu.
Genti Chriſtiadum ſeptenos præſidet annos:
Magnus & hic audit nunc tua vota Cinis.

AD ELEVTERII PONTIFICIS
Tumulum
INSCRIPTIO XIV.

Non ciuis hic mutus, non ſurda hic pignora magnæ *Pont.*
Stant animæ: pronâ namque excipit aure precantum *XIV.*
Vota Eleutherius; precibus reſpondet & idem, *Ann.D.*
Munificus dextrâ, præclaro nomine dignus. 182.
Hunc Latio, Romæque dedit fœcunda virorum
Græcia clarorum: Mundi ſed fræna Latini
Relligio, & pietas dedit illi, atque inclyta virtus.
Huic placidi fluxere dies, fluxere ſerena
Tempora: terribilis ſiluit grauis irâ Tyranni.
Chriſtiadis hinc grata quies: hinc aurea vbique
Flaueſcit fidei fruges, & glande relicta,
Illuſtres dant paſſim animæ ſua nomina Chriſto.
Anglia primæuis obnoxia legibus olim,
Gratatur, rediſſe iterum ſibi Numen auitum.
Afflatus nam luce noua Rex Lucius, vltrò
Romam Oratores mittit, Summumque rogatum
Romulidum Patrem voluit: daret ipſe colonos,
Facundos linguâ, qui ſciſſa noualia curent,
Gentemque edoctam ſacrent luſtralibus vndis.
Nec mora: momentò mutata Britannia cultu eſt:
Fana erepta Dijs: non marmora cæca profano
Thure calent; pulſus gentilis & vndique Flamen!
Peruigil interea in partem Eleuterius omnem
Lumina circumfert; Orbem luſtratque ter amplum,
Aurea ne qua lues corrumpat tempora, lætas
Ac ſegetes dirus ſurgentes Sirius vrat.
Florinum, & Blaſtum plectit, capita impia: pœnas
Dat-

Datque Valentinus; pulſusque eſt Marcio templis.
Poſtquam at ſceptra diù tenuit, faſcesque verendos,
Cælo Eleutherius, Superis aſſertus, & aſtris,
Huic ſacras tumulo exuuias, Manesque reliquit.

AD VICTORIS PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO XV.

Pont. XV. Ann. D. 195.

Victori Pontifici
Suus debetur in memoria temporum triumphus.
Quicquid victricibus hiſce exuuijs honoris datur,
Virtuti, ſanctimoniæ, inuictæ fortitudini datur.
Natione Afer is fuit.
At Romanus Numa videri potuit,
Legibus fundandæ Chriſtianæ rei latis.
De rediuiui Seruatoris feſto
Conſepulta olim controuerſia,
Rediuiua iterum ſub Victore,
Suo veluti è buſto renaſcitur.
Quartæ decimæ Martij menſis Lunæ
Solennem hanc Feriam male feriati tribuunt.
Hanc Lucinam adeſſe renaſcenti Domino
Contendunt Aſiani Epiſcopi.
Hic Quartadecimanorum decumanus error
Erranti cum nitantur ſydere, errare eos, neceſſe eſt.
Quid cum Hebræo Paſchate Chriſtianæ Anaſtaſi?
Quid veteri cum Phaſe nouo Paſchati?

Igi-

Igitur Victore auſpice,
Viſa deliquium pati Quartadecima Luna:
Mos veterum, temporum ratio, Concilia *Patrum* vicere:
Euulgatoque Paſchali Cyclo,
Demiſſa ad Pontificis pedes Luna, iuri ſuo ceſſit.
Cum Epiſcopis Orientalibus haud actum fulmine.
Victori ſat fuit viciſſe.
Quem deinde multarum Pontificem palmarum,
Martyrium coronat.
E prælio redeuntem excipit Apoſtolorum Princeps,
Ac penè ſinu ſuo fouet,
Conſepultum nempè in Vaticano
Proximè eius oſſa.

AD ZEPHYRINI PONTIFICIS
Tumulum
INSCRIPTIO XVI.

Venerare hic, quiſquis es, Sanctiſſimi *Pontificis* *Pont. XVI. Ann. D. 203.*
Inextinctam pio in Cinere memoriam.
Flantibus veluti Zephyrorum animis,
Ver attulit Eccleſiæ Zephyrinus:
Quæ vt præclaris inſtitutis efflorefceret,
Cum primis ſtuduit.
Quamquam non ea fuit huiuſce Zephyri temperies,
Vt peracrem L. Seueri Septimij hyemem frangeret.
Excitata hac præſertim tempeſtate
Immanis ab immaniſſimo Cæſare tempeſtas,

Aqui-

Aquilonibus, Africis, atque omnigena ventorum rabie,
Rem Chriſtianam diuerberat.
Sub Zephyrino
Natalius, priſcæ vir fidei, à Nouatoribus circumuentus, cadit.
Crimen Angelorum manibus luit,
Integram ab ijs noctem ſtrenuè verberatus.
Scilicet, ſuæ ſunt Cæleſtibus iræ,
Sua Cælo flagra,
Quæ, ſi cadis, cædunt, vt erigant.
Reſipuit; inde Natalius,
Ac nullus vnquam tam illi propitius, quàm irati Cælites.
Tantam corporis cladem mulcet Zephyrinus,
Correctumque ad frugem Filium recipit in ſinu Matris:
Vnde, excuſſo fulmine, Tertullianum proturbat:
Quale ex Africa eloquentiæ monſtrum!
Ter Tullium vocant.
Quid illi Tullianam ſuperaſſe facundiam?
Hoc melius,
Si ſemitullius audiret, & integer Chriſtianus.
At Zephyrinus dum religioni excubat,
Claudere fatali ſomno oculos cogitur,
Minutus capite,
Ad amplificatæ fidei authoramentum:
Non alio exceptus cœmeterio,
Quàm quod ipſemet via Appia adornauerat.
Nempè Cæmeterij ſtructura mortalitati ſuæ cauerat,
Virtutum vſu immortalitati.

AD CAL-

AD CALLISTI PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO XVII.

Ad hunc, Hoſpes, tumulum
Paucis te vult Calliſtus Pontifex.
Datus hic Orbi eſt,
Seuerioris diſciplinæ aſſertor, regnante Seuero Principe.
Hoc Pontifice,
Elagabalus item dominatur, diſcinctus Cæſar,
Qui ſuis emolliit delicijs ſua tempora.
Viſus præire cæteris luxû, non trabea.
Quam bene
Voluptuoſo Principi vultuoſus occurrit Pontifex,
Deliciarum nempe leuitati grauitas.
Diſtinxit is annum ieiunijs quadripartitis,
Vt fertilis anni copiam noſtra prouocaret fames.
Docuit propterea hoc abſtinentiæ inſtituto,
A uerno ieiunio florere mores:
Ab æſtiuo intimas reſtingui flammas:
Ab hyemali albicare animo niues:
Ab autumnali virtutum fructus demeti.
Quod Cælo recepta,
Terras iterum inhabitauerit Cæli Regina,
Calliſto debet Roma,
Qui primùm Mariano nomini templum,
Ac Virgini Deiparæ Tranſtyberinam ſacrauit Domum.
Hic olim Auguſti tempore manauit vbertim oleum:
Præſcia nempe diuini Partus,
Vt Chriſtum inungerent, liquantur in oleum ſaxa:
Fluitque iam pietas, non dum enata.

Pont. XVII. Ann. D. 221.

D Iam,

Iam, vt Martyrum oſſibus bene eſſet,
Sepulcra molitur Calliſtus via Appia.
Quid hiſce amoenius monumentis,
Vbi tot Palmæ, tot Quercus virent?
Non hic Memphitica exiguo cineri miracula:
Prænobilis ijs pyramis generoſior virtus:
Nec Mauſoleis egent, ſuo ſepulti triumpho.
Vnam in Pontificatu emenſus Olympiadem,
Olympionica egregius cadit, an vincit?
Diuturno vexatus carcere, enectus fame, cæſus fuſtibus,
Datus è feneſtra præceps,
In puteum tandem mergitur.
Scilicet, qui tot tormenta vorauerat,
Debuit ea poſtea vi aquæ ſitim reſtinguere.
Via Aurelia ſepelitur
Vir aureus,
Ac ſupra omnem æris, ac ferri vim fortis.

Pont. XVIII. Ann. D. 217.

AD VRBANI I. PONTIFICIS

Tumulum

INSCRIPTIO XVIII.

Olim Tiara inſignis aurea, & vice
Petri verendus, ſanguine & clarus ſuo,
Vrbanus hac quieſcit vrna: Orbi dedit
Quem Roma ſepticollis, vt regeret ſacra,
Nutuque Cælum, & iura ferret moribus.
Laudata virtus Illi, & Vrbis Præſide.

Digna, & terамplo Patre gentium omnium.
Pia quam manus largitur auri copiam,
Fundoſque Chriſto fertiles, & diuites
Cenſus, ſacrificæ diſtribui pubi iubet
Æquè, foret commune ceu patrimonium.
Et vt niterent ſacra, ſplendor & ſuus
Templis, & aris eſſet; argento calyx
Et lychnus auro diues; & auro Cruces
Vt fulgurarent, ſplendida curat manu.
Pretioſa cui virtus inerat in aureo
Pectore micare fuluum vbique aurum facit.
Simul nitori Numinis ſimul vacat
Diſſeminando Vrbanus æterno Deo.
Hinc inclytas trahit animas lingua efficax:
Hinc Virginis toro iugali nobilis
Et ſtirpe generis Valerianus: hinc ſuo
Virtute fratri compar & Tiburtius:
Honore clarus Cæſaris & hinc Maximus.
Hos Ille Numini peperit: hos poſtea
Scripſit Latino Cenſui ſuus cruor,
Hos Cæcilia decora vultus, ferro graui
Percuſſa ter, comitatur oſtro ardens ſuo,
Ter Martyr, aræ quam beant, thura & ſacra.
Vrbanus horum ſanguine remiſcet necem
Et lauream ſuam, Seuero Cæſare
Iubente; ſciſſo nanque Capite ſe ſacram
Inuictus Heros immolauit victimam,
Poſtquam Latina ſceptra rexit ſolibus
Senis volutis: hicque grata illi quies,
Ter magnus vbi Calliſtus vlnis pronior
Duces peramplis laureatos excipit.

AD CALPVRNII PONTIANI PONT.

Tumulum.

INSCRIPTIO XIX.

Pont. XIX. Ann. D. 237.

Pontiano Pontifici Fabianus Pontifex,
Romano Romanus,
E Sardinia Romam aducto,
Nunc ſacrat tumulum, an trophæum?
Meruit huc transferri Pontianus,
Vt tueretur Romani cinere,
Quam incenderat diuino igne,
Ea nanque illi cura,
Vt à Chriſti flamma
Fidelium, & incaleſcerent pectora, & inclareſcerent mentes.
Dum piam hanc aſſiduis flammam dictis euentilat,
Ardet, ſed alio igne, Alexander Seuerus,
Cuius æquabat nomen ſeueritas.
Vt faceſſeret Vrbe Pontifex, edicens,
Deportari in Sardiniam iuſſit.
Quam inſalubre Cælum infamauerat Inſulam,
Expiauit ipſe aſpectu, ac decore frontis,
Amœnauitque flore virtutum.
In Inſula frumentaria non defuit ærumnarum ſeges,
Quam is demeteret, voraretque,
In miſerrima vita truculentæ mortis candidatus.
Nam cæſo Alexandro;
Seuero ſeuerior ſucceſſit Maximinus,
Sextus Eccleſiæ turbo, tempeſtas, ſcopulus.
Fulmen is fuit citatiſſimum, incitatiſſimum:
Quò breuior, eò vehementior ab eo clades.
Alter Tarquinius furit in ſumma capita.

Viam

Viam inijſse putat,
Quam in paucorum nece omnes perderet.
Inuoluit hæc Pontianum calamitas:
Summum nempè mortalium Caput.
Cæditur in Sardinia:
Sæuitque Cæſar, vbi neque Lupus, neque coluber ſæuit,
Vtroque dirior.
Sed intercepit mox Tyrannum Nemeſis.
Vna cum Sobole
Impetu militum, hoc eſt, ſuo enſe contrucidatur.
Non hiſce Inferijs placantur pij Pontiani Manes:
Attamen ad Sanctiſſimi Pontificis funus
Iuſſit vindex Numen,
Non gladiatorum paria, veterum more,
Sed par mactari Cæſarum.
Hoc nocens filius, quod Maximini filius.
Non dum is exacuerat vngues:
Sed diſcerpi meruit diro cum leone,
Leonis Catulus.

AD ANTERI PONTIFICIS Tumulum.

INSCRIPTIO XX.

Magna hunc Græcia præbuit Parentem *Pont.*
Anterum tibi, laureata Roma. *XX.*
Inter pontinagæ diù ſilentes *Ann. D.*
Degit Sardiniæ tenebras vmbras. 238.

Rap-

Raptuſque è tacitis repente ſyluis;
Ornatur meritò Infulis Latinis.
At O Romuleos breues amores!
Luna vix reficit ſemel coruſcum
Orbem, & cornua ponit, & reſumit.
Cum faſces dominos viceſque Cæli
Ponit, in facili velut theatro
Anterus, capite imminutus; acri
Cæſar dum rabie furit, ſacrumque
Dirè Chriſtiadum ſitit cruorem.
O quale abſtulit immerentis aureum
Feralis caput enſis! o quot vnò
Spes in vertice meſſuit virentes!
Hanc hoſpes, cole victimam cruentam,
Et funde ad tumulum preces, roſaſque.

AD FABIANI PONTIFICIS

Tumulum

INSCRIPTIO XXI.

Pont. Quicquid in Fabiano Pontifice fuit,
XXI. Virtus, Infula, Palma,
Ann.D. Superiùs tumulo eſt.
238. Conditur hic verò pius Cinis,
Ne ſua deſit theſauro cuſtodia.
Romæ editus, Romæ Pater,
Renuntiatur mirè Pontifex.
Nam dum de prima Sede conſulitur,

Le-

Lectiſſima è Cælo columba Fabianum eligit.
Scilicet, cum de eiuſmodi virtute agitur,
Euolant ſuffragia, non eunt.
Non Regina volucrum Aquila ſacrorum Regem renuntiat:
Rapuit pulchrius ad Solium Columba imbellis:
Et viſa id muneris exequi lætabunda, non ingemens.
Attulit & Columba hæc,
Vt Fabiano Principatum, ita Eccleſiæ oliuæ ramum:
Cæſo namque Maximino Cæſare,
Vbi ſpiritum expuit truculentiſſimus Tyrannus,
Chriſtianus Populus reſpirauit.
Qua tranquillitate vſus Fabianus,
Ceu dies nactus Alcyonios,
Viſus nidificaſſe,
Pleriſque excitatis ad Numinis cultum Templis.
Illud iucundiſſimum;
Philippos duos Cæſares, Chriſtianis imbutos ſacris,
Auſpice Fabiano, eodem renatos fonte;
Eodemque nixu gemellos editos, Patrem, ac Sobolem.
Quid pulchrius,
Quàm preſſam diù fidem
Iunxiſse triumphali curruí non vnum Cæſarem?
Adauxit hanc pompam Cyprianus,
Qui Senatoria quidem Infula Auguſtis impar,
Sapientia longè maior,
Chriſti tunicæ & Senatoriam aſſuit chlamydem,
Et Philoſophorum pallium.
Porrò ne ſimul & caderent Martyrum corpora,
Et eorum res geſtas obliuio conſepeliret;
Viros conſtituit Fabianus,
Qui, diuiſis Vrbis regionibus,
Dum conderentur tumulo pignora,
Exponerent luci facta:
Et dum vitam eriperet gladius,
Æternaret memoriam calamus.

Qui honori conſuluit Martyrum,
Meruit & ipſe honorem Martyrij.
Perflante Decij turbine,
Sciſſo nauigio, naufragatur auſpicatiſſimè;
Suo merſus in ſanguine:
Geminuſque illi portus fuit,
Cælo alter, alter hoc in Monumento.

AD CORNELII PONTIFICIS

Tumulum

INSCRIPTIO XXII.

Cornelio
Pont. XXII. Ann.D. 254. Quà Sacerdoti ſummo, quà Martyri,
Aram ponimus pro tumulo.
Immolantes Chriſtum, immolati pro Chriſto,
Meritò ad Aram iacent,
Congeminantque iure hoſtiam, ſeu miſcent.
Ad Romanum Sacerdotium Romanus Sacerdos
Dum inuitatus, reſpuit,
Inuitus rapitur.
Precari oportuit, qui illud deprecabatur.
Contempſiſſe, argumentum hoc eſt, promeruiſſe.
Cæteros ducit; nolentes trahit dignitas.
Dum priſca religione, ac veterum more Eccleſiam procurat;
Ecce tibi Nouatus, Nouatianus, impij Nouatores
Religionem, mores turbant.
Nouatus, ex Africa nouum monſtrum;

Patriam expreſſit indolem, Afer, vafer;
Turbulentiſſimi vir ingenij:
Quos animo geſtabat æſtus, ac turbas,
Serere in populo ſemper ſtuduit:
Punicæ fidei, fax diſcordiarum publica.
Viſcera illi auri ſitientiſſima ſed ferrea.
Pupillos, viduas miſerabiliores reddidit rapinis ſuis,
Enectum fame Patrem, inſepultum voluit,
Vt proſtarent ſuæ trophæa crudelitatis;
Nec tantum lateret vnquam facinus.
Ad coronidem,
Excuſſo in Coniugis vterum calce, necauit fœtum.
Maturauit nempè parricidium Pater,
Vitamque eripuit, antequam affulſiſſet vitæ lux,
Ne ſerò eſſet nocens.
Lybicus hic coluber adrepens Romam,
Rem Romanam afflatu inceſtauit.
Fœderatus quippè Nouatiano Nouatus,
Id ſtatim molitus,
Vt monſtra pareret, non Africa, ſed Africanus.
Schiſma primus inuexit,
Inaugurato Pontifice Nouatiano.
Dum in pulcherrimo Eccleſiæ corpore
Horridè congeminatur caput,
Viſus ceu bifrons Ianus interminari religioni bellum.
Cornelius à multis deſtitutus, non ſe deſtituit.
Concilia euocat,
Vt Eccleſiarum Capita opponeret inſano Capiti.
Scindit à Chriſto, qui Chriſtum ſciderat.
Vſus Apoſtolico fulmine, vt elatum attereret verticem.
Interim calente adhuc Deciano cinere,
Eiusdemque in Voluſiani pectore calente ira,
Exulat ad Centum cellas Cornelius.
Exul, Romæ præſens adeſt
Spiritu, calamo.

Schiſma primum inter S. Cornelium, & Nouatianum Antip.

Hinc obtruncari Cæſar iubet,
Poſtquam ad Martis templum illuſerat Marti.
Lucina tantis Natalibus adeſt nobiliſſima fœmina,
Citra fabulam.
Editum per vulnera ſplendidiorem in lucem,
Suo in prædio conſepeliuit.
Vt cæteras inter arbores
Tanti Martyris laurus, ac palma vireſcerent lætiùs.

AD LVCII PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO XXIII.

Pont. XXIII. Ann.D. 256.

Nomine cui virtus præclaro clarior ipſo,
Lucius hoc tumulo, dum premit aſtra, iacet.
Lucius à cunis didicit qui pectore grandi,
Egregiè & facere, & fortia quæque pati:
Si formanda Orbis pietas, & publica virtus;
Format: lexque Orbi eſt moribus ipſe ſuis.
Si foret exilium pro relligione ferendum;
Exulat: & dulce eſt deſeruiſſe ſuos.
Illi frons eadem, purus ſeu rideat æter,
Tempora ſeu fuerint nubila, ſiue tonet.
Non ora immanis, metuendaque iuſſa Tyranni;
Non ſi mors ſtricto terreat enſe, timet.
Dum ſacra emendat, Chriſti dum peruigil aurum;
Atque inopum, dicta lege, tuetur opes;

Au-

Aureliane, iubes, ferrum, rigidamque ſecurim
Vibret in immeritum dextra cruenta caput.
Procumbit ceruice minor: capitique verendo
Creuit honor, magis & Lucius inde micat.

AD STEPHANI PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO XXIV.

Conditur hic Stephanus, nomen cui ſerta dedere, *Pont.* 24
Et cui promeruit ſerta decora cruor. *Chr. an.*
Illi Roma parens: Romæ tamen indole grandi, 228.
Faſcibus & Latijs dixeris eſſe Patrem.
Excoluit mentem ſtudiis: preſtantius illi
At ſtudium, pietas, relligioque fuit.
Namque Deo plenus, Petri venerabile munus
Moribus effecit ſanctius ipſe ſuis:
Scita Patrum ſeruat: forti ſtat pectore contra,
Afflet ne qua fidem perniciosa lues.
Hinc vndis ſemel immerſum luſtralibus, vndis
Mergi iterum ſacris, ora diſerta vetant.
Reclamant Aſiæ Patres, reclamat & Afer
Antiſtes; repeti & balnea ſacra iubent.
Hinc ſciſſum vulgus: Romana & detonat arce
Chriſtiadum *Pythius*, ſenſaque vera docet.
Vicit, Io, Stephanus: plaudit pars ſanctior Orbis:
Moxque Aſiæ parent, mox Africæque Patres.
Impetit interea Chriſtum Licinius: Illo

Mitior aut tigris, vel Leo Pœnus erat.
Lecta acies, dilecta Deo fugit huc, fugit illuc:
Clauigerum latebræ, triſtis & vmbra tegit.
Hic latet, hic litat: & robuſta hic indole pulchræ
Inſpirat pauida in pectora vota necis.
Nec latebræ latuere diù: tecta abdita pandunt:
Peruenit ad latebras vis & odora canum.
Hinc rapitur Stephanus, Martiſque ad templa reuinctus
Siſtitur, armiſona vt Numina thure colat.
Ille Deum prenſat tacitus: mora nulla: profana
Templa ruunt, veluti fulmine tacta Iouis.
Diffugit hinc miles tremefactus: tum pede fauſto
Chriſtiadum repetit tecta repoſta Parens:
Sermoneſque ferit facundus, plectraque tractat
Ieſſæi Vatis; pura & victima cæſa cadit.
Frangitur haud Cæſar, tecto labente: furentis
Acriùs & præceps Principis ira calet.
Venaturque auidus profugum; latebriſque ſub imis
Non potuit tantum delituiſſe iubar.
Irrumpunt ferro: niueum quique immolat Agnum,
Hoſtia lictoris concidit ipſe manu.
Scilicet intrepidum poſt ſacra peracta, ſuaque
In Sede, impacto vulnere, confodiunt.
Purpuream dedit Ille animam, quam læta coronant
Cælo aſtra, & gemmis laurea texta beat;
Diſcerptum hæc corpus tenet vrna; cruentaque Sedes
Stat propè: nempè illi gratior inde quies.

AD SIX-

AD SIXTI SECVNDI
Tumulum
INSCRIPTIO XXV.

Sixtum Secundum ſanctiſſimum Pontificem, *Pont.*
Quamquam tegit hic tumulus, *XXV.*
Inextinctum ſeruat ſua virtus. *Ann.D.*
Athenæ dedere illum Romæ. *261.*
Vt eruditum ab Athenis ingenium;
Ita forte à Roma pectus illi contigit.
Pontificatum difficillimis iniit temporibus,
Cum tantum onus grauius redderet
Licinij in Chriſtum rabies.
Non dignitati, non æuo parcere
Sub Cæſaris paludamento perſonatus hic Leo,
Animarum magnarum prodigus.
Quot cædi illuſtres viros iuberet,
Tot ſibi incidi ſpirantia putabat ſimulacra.
Præter hanc corporum lanienam,
Animorum etiam ab hæreſum lue ſtrages Sixtum diuexabat.
Sabelliani in Fidelium mentibus obtrudere,
Vt Deum crederent ſolum, & ſolitarium:
Chriſtum verò neque ſolum in Cruce, neque ſolitarium,
Illata Patri, ac Spiritui Sancto impiè nece.
Neque his melior Cherynthus.
Poſt mille annos Anaſtaſim,
Atq; impuriſſimam, cœnoq; merſam beatitatem propinabat,
Epicuro nequior.
Sixtus portentis hiſce occurrit,
Neque aciem formidat millenariam.
Dum palam, priuatim declamat,

Cæ-

Cæſaris iuſſu Marti ſiſtitur,
Vt thus flagrantiſſimo adoleret Numini
Bellorum Præſidis contemptu
Ita pugnauit, vt vinceret, truncatus capite:
Ad ſupplicium dum rapitur,
Laurentio lauream poſt tertium diem ad promittit,
Mulcetque Leuitæ ſui aures, ac animum
Illecebra Martyrij.
Quàm feliciter vitam pro Chriſto fuderit,
Vel hinc collige, quòd feliciſſimus illi comes fuit.
E Calliſti Cæmeterio
Suam in Baſilicam Beatiſſimos Manes dum transferunt;
Palmari quidem Cineri haud palmaris contigit tumulus:
Quando ipſa non exigui templi Ara maxima
Euaſit illi in tumulum.

AD DIONYSII PONTIFICIS

Tumulum

INSCRIPTIO XXVI.

Pont. XXVI. Ann. D. 261.

Dionyſio Romano Pontifici
Vitæ ſanctitas aſtra ſimul commeruit,
Et mortalium ad hunc tumulum cultum:
Natalium tenebras clarauit lux nominis.
Genus, Patriam parentes fruſtra in eo quæras;
Veluti ipſe ſui conditor,
Ipſemet ſibi parentes, Patriam, genus faciat.
E monacho in Pontificem euaſit;

Si

Si pietatem ſpectes, ſemper monachus,
Qui in ipſa Vrbis frequentia, ac ſtrepitu
Solitudinem retinuit, affixus Cælo.
Intentus fidei expiandæ,
Samoſatenum, cuius in pectus impia quadā Metempſychoſi
Sabellius immigrauerat,
Indicta Antiochenæ Synodo,
E ſede proturbauit ſua.
Proſcripta Perſonarum Triade,
Id improbus vereri videbatur,
Ne plures palmare ſcelus plecterent.
Hoc Pontifice,
Iuratus Chriſtiani nominis hoſtis,
Aurelianus Cæſar,
Collatis cum Sapore, Perſarum Rege ſignis,
Vincitur, & vincitur.
Hoc illi ad ludibrium,
Quoties conſcenderet equum Perſa,
Ceruicem commodabat ſuam Aurelianus.
Toties victus, quoties colla ſubderet.
Neque mora: ab alio mox Sapore detrahitur illi pellis:
Hoc eſt à præferoci Leone ſpolium:
Et ſale conditur,
Vt duraret in memoria temporū infortuniū,& contumelia:
Eiuſque ſaperet extinctum corpus,
Cui nulla vnquam ſuperſtiti fuerat mica ſalis.
Præter innumeros pené Martyres,
Tres omninò Pontifices obtruncauerat Aureliani gladius,
Tergemini parricidij reus:
Vt meruerit triſulcum veri Iouis fulmen.
Dionyſius citra ſanguinem Cælum tenuit.
Relicto hic cinere,
Puriore flamma ardet in Empyreo.

AD FE-

AD FELICIS PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO XXVII.

Cuius hic quieſcunt oſſa,
Pont. Si quæris nomen, Felix eſt Primus;
XXVII Si pietatem, & mores, appellari Feliciſſimus potuit.
Ann. D. Nacta videlicet virtus illibatum pectus,
273. Viſa in eo degere quàm feliciſſimè.
Priſcæ religionis tenaciſſimus,
Nil æquè oderat, ac Nouatores.
Fœderato cum Sabellio Samoſateno,
Congeminata hinc peſtis Eccleſiam vehementiùs diuexabat.
Cum vna ſit in Deo Trinitas,
Vnicam etiam in Deo perſonam nebulones deprædicabant;
Vt quam vnus Filius carnem induit,
Patri, & Spiritui Sancto cùm affingerent;
Illos etiam affigerent Cruci.
Abſurdum hoc auribus
Datis epiſtolis, conuellere Felix ſtuduit,
Atramento videlicet candori fidei probè conſulitur;
Confodiendæ hæreſi ſtylo nil aptius:
Nec tenuij papyro leue momentum, ac pondus.
Ad ſepulcra Martyrum mactari ritè diuinam Hoſtiam voluit;
Vt repetita ad aram Chriſti morte,
Martyrũ ſanguinẽ myſticus repẽderet citra ſanguinẽ Sãguis.
Nempè diſcerpta olim à leonibus corpora,
Meritò complecti Agnus Euchariſticus debuit,
Præclarè Chriſtianæ rei dum excubat,
Intra annum Pontificatus tertium,
Aureliani, quem ferreum aptiùs dixeris, iuſſu,
Dare

Dare ceruicem ferro cogitur.
Vt mores in eo aureos agnoſcas,
Quem Aurelianus ſuſtulit, via Aurelia ſepelit.

AD EVTYCHIANI PONTIFICIS Tumulum

INSCRIPTIO XXVIII.

Chriſtiadum Pater; octonos qui præſidet annos,
 Quique dein rigido Cæſaris enſe cadit, *Pont.*
Integer hac vitæ latet Eutychianns in vrna; 28.
 Et ſua promeruit thura Latina cinis. *Ann.D.*
Illius an cedro pietas ſit digna perenni, 275.
 An virtus laude? hinc collige, quiſquis ades,
Ter centum ſiquidem pia corpora, cæſa Tyrannis,
 Ipſe ſua fertur contumulaſſe manu.
Pulchrè ſecta cadunt victricia pignora: fortè
 Condidit hæc eadem pulchriùs is tumulo.
Dum ſedet at Petri Solio; & per vulnera dira,
 Diras atque neces, Aureliane, furis,
E Stygijs emerſa vmbris, en altera monſtra
 Quicquid habet Phlegeton peſtis ab ore vomunt.
Hic ille eſt Manes, Perſis quem fudit ab aluo,
 Perderet vt fidei ſemina Perſa nequam.
Se Cælo miſſum: humanas atque eripit audax
 Exuuias Chriſto, grataque dona inopi.
Et rediuiua negat mortalia corpora: damnat
 Connubium: cunctis congeminatque animas,

Perditus hæc Perſa euomuit : ſed peruigil adſtat
Tutaturque ſuas Eutychianus oues.
Edocet, intentat fulmen : cædente ſed acri
Cæſare Chriſtiadas, dat pia colla neci.
Functum luce breui, æternum tranſcripſit in æuum,
Qui ſecuit vitæ ſtamina fluxa, chalybs.

AD CAII PONTIFICIS

Tumulum

INSCRIPTIO XXIX.

Pont. Natus Salonis Caius, ille Orbis Parens,
29. Denatus hic quieſcit: Auguſti nepos,
Ann.D. Et Cæſarum clarus genere: magna indole:
283. Virtutis, & ſplendore Vitæ clarior.
Illi nitor morum, & catum pectus fuit,
Et Pallade exculta mens, & ingenij vigor.
Paſtoris vt quis ritè munus impleat,
Et Infulatus Præſul auratum pedum
Quaſſet; ſacrorum per gradus ferri iubet:
Nempè vt Tiara non prius fronti incubet,
Quàm per minora munera excelſum decus
Capeſſat, & ſtemmate ſuo micet caput.
At ne triumphali cruentas murice
Pugilum Dei palma, decoras & neces
Obliuioni damnet inuidus dies;
Partitur Vrbem; partibus probos viros
Dat ſingulis, monumenta qui rerum notent,

Me-

Memori & ſtylo ſignet trophæa Martyrum.
Si quæ noua per Orbem hæreſum monſtra allatrent,
Adeſt minaci Caius enſe piè ſæuus,
Terris vt abigat Lernam, & immanem luem,
Illi hoc priùs: forti tueri pectore
Priſcum ſacrorum decus, auitas & Patrum
Leges. Tyrannus hinc furit; petit & caput
Myſtæ verendum, terret & vultu truci.
Latet Is diù, mortalium & lucem fugit,
Se ſeque cautus ſeruat impauido Gregi.
Quæſitus at nutu profani Cæſaris,
Dat colla pronus, ſectum & immani caput
Ferro, decoram Martyris laurum occupat.
Poſtquam Gabinius inclytæ famæ Frater,
Et pulchra Neptis ore, cultu & ſanctior
Suſanna ſubiere aſtra per pulchram necem.
Pro ſanguine & Caius merum nectar bibit,
Iacetque laureatus vrna in hac cinis.

AD MARCELLINI PONTIFICIS

Tumulum

INSCRIPTIO XXX.

Qui Marcellini Pontificis ſpolia *Pont.*
Excepit hic tumulus, *XXX.*
Conſepelire inclyti Martyris palmam non potuit. *Ann.D.*
Nil habet ſepulcro obnoxium generoſior virtus. *296.*
In tempora is incidit acerbiſſima.

Ceu cruciandum vniuerſum mortalium genus eſſet;
Vbique cruces, neces, & plurima mortis imago.
Diocletianus, Maximianus,
Infanda crudelitatis nomina,
Alter ad Orientem, ad Occidentem alter,
Non tam diuiſiſſe inter ſe ſe Imperium,
Quàm diſcerpſiſſe, dilaniaſſe Chriſtianum Orbem viſi ſunt;
Addebant ſua indole
Neſcio quid feritatis ferro, & feris.
Quam nonnunquam exuebant ad Martyrum pedes ferociam
Leones, Tigres,
Induere, aut ſupplere ipſi acriùs videbantur:
Vt à belluarum manſuetudine
Suam ipſi rabiem conduplicarent,
Ac dici verè poterant à cæſis mortalibus Cæſares,
Admordebant etiam ſaxa canum inſtar rabidiſſimorum:
Diruris nempè aris, ac templis:
Vt æquè Diuos, ac homines diuexarent.
In tanta rerum trepidatione
Tyrannorum minis, ſuo metu victus Marcellinus,
Thura Dijs adolet,
Qui mox ſuam cremari dexteram, quàm thura maluiſſet.
Tantum ſiquidem facinus nullus vehementiùs horruit,
Quam qui admiſit.
Ad ſuammet impietatem ſimul erubuit, ſimul expalluit,
Exciuitque fumus ille profani thuris pœnitentiæ lachrymas.
Neque mora: fletu madidus, ieiunijs aridus,
Intactus comas cinere, cilicio chlamydatus,
Sinueſſanam conuenit Synodum.
Iudices adire ſe, non Conſcriptos Patres:
Supplicia depoſcere ſupplicem:
Abieciſſe ſe metum, mulctarent ipſi ſcelus.
Sed apage in primam Sedem Patrum iudicia.
Hinc à Concilio Maximianum adit.
Ora Cæſaris ita non formidat, vt ſupercilio ageret.

Quòd

Quòd ad impia ſacra impulerit, obiurgat.
Thurificaſſe manum, non animum.
Quis vnquam immmolauerit Ioui,
Cum ſit ipſe immolandus, mutatus in taurum?
Excanduit ad hæc Maximianus.
Quem blanditijs, ac minis eò perduxerat,
Vt litaret Dijs,
Illum nunc Deo vero immolat, ſecuri percuſſum.
Coronatque laurea inuitus inuictum.
Iacuit inſepultum diù corpus,
Vt dentibus, vnguibus martyrium congeminarent
Aues, Canes.
Sed mitiora ferarum guttura,
Quàm inſatiabilis Tyranni rabies.
Intactum excepit ſubindè hic tumulus,
Ac veluti ſuo in ſinu Priſcilla.

AD MARCELLI I. PONTIFICIS

Tumulum

INSCRIPTIO XXXI.

Marcello Sanctiſſimo Pontifici, Romano *Pont.*
Longa hic quies, *XXXI.*
Cui prolixior olim ærumna, ac labor. *Ann.D.*
Chriſtianam Eccleſiam ſapientiſſimè piëtiſſimè adminiſtrat. 304.
Diuiſa in titulos, ac Parœcias Vrbe,
Curas ſuas in ea fouenda non diſtrahit.
Curat Priſcillæ opera Cœmeterium;

Pe-

Peræquè viuentium, ac defunctorum Pater.
De Primatu Romanæ Eccleſiæ ſollicitus,
Antiochenos Patres monet:
Agnoſcerent in Orbis Capite Caput etiam Eccleſiarum.
Pontificis ſtudia impetit Maxentius.
Blanditijs primùm,
Dum putat hiſce armis vinci inermem poſſe.
Sed aduertit, eſſe Chriſtianos Marcellos,
Qui frangere Romanos ſciuerint Annibales.
Neque mora: in carcerem trudit:
Vinxitque inuictum, ac ſemper liberum.
Fuſtibus ita mox cœdit,
Vt nihil de Pontif. maieſtate detraxerit ſeruilis diuerberatio.
Tandem in catabulum compingit:
Nempè, vt qui ſupra homines erat, beſtias procuraret.
Adauget oris dignitatem loci facies,
Cuius etiam ſqualorem frontis decus viſum occupaſſe;
Qui Marcello tranſitus!
Mutato cum Myſteriorum vſu Miniſterio belluarum,
Quas humanas penè reddidit,
Tyranno abeunte in belluam.
Sed inde à ſuis ereptum, excipit Lucina,
Clariſſima à luce morum fœmina.
Matronæ domum ritè conſecrat cultu Numinis.
Litat hic, pſallit, orat, perorat.
Quot ibi fideles, tot templa in templo dixeris.
At Maxentio inardeſcente,
Immittitur eò Catabulum.
Quid cum belluis Diuis, ac Numini?
Qui Pontifici, qui Lucinæ tunc mœror?
Vera nunc fabula:
Excuſsis equorum vngulis fontibus lachrymarum;
Hic Marcellus illuuie confectus,
Domini Natales imitatur funere,
Quando inter belluas ille naſcitur, hic moritur.

Lu-

Lucina vel ipſis in ſordibus pretioſum Corpus,
Ad ſepulturam cohoneſtat via Salaria.
Catabulum verò abijt in templum,
Marcello inclyto Martyri dicatum,
Redijtque iterum ad ſtabulum Numen,
Haud dedignatū, quicquid Marcellus patientia cōſecrauerat.

AD EVSEBII PONTIFICIS
Tumulum
INSCRIPTIO XXXII.

Græco ab ſanguine Romanus Pontifex *Pōt.32.*
Pauca habet, quæ hic tumulus propinet legentibus. *Ann.D.*
Seſquiannum in Pontificatu cum vixerit, *310.*
Viſus longè minus vixiſſe.
Scilicet, huic breuis æui ſpatio id etiam calamitatis acceſſit,
Quòd eius res geſtas nulli exceperint Commentarij.
Planè cum ſibi ſufficiat Virtus,
Vt viuat, ſtylo indiget.
Hoc compertum,
Non imparem nomini pietatem fuiſſe:
Vitamque ita compoſuit ſuam,
Vt mores lex eſſent.
Incruentum altaris ſacrificium, amoto ſerico, & colore omni,
Lino peragi, niueoque in velo iuſſit.
Scilicet
Agnū Euchariſticū ſimplicitas, cādor, ac textilis ea nix decet.
Sindonem mundam adamauit ſemel, adamat ſemper.

Sub

Sub hoc Pontifice,
Helenã quidã ferũt,Cõſt. Matrẽ theſaurũ abſcõditũ effodiſſe,
Nempè Dominicam Crucem.
Extrahenda in lucem ea fuitq́,
Nè proximè Inferos iaceret,
Quæ aperuerat mortalibus Cælum.
Vt progerminaret Palmas,
Non infodi humo debuit lignum hoc:
Neque par eſſe, feraciſſimæ Arbori
Culturam deeſſe mortalium.
Iam, ceu tacitum quoddam fœdus cum Cruce eſſet Euſebio,
Sub ipſam Conſtantini de Maxentio victoriam,
Auſpicijs nempè Crucis; partam,
Aſtra petijt.
Fortè, vt nunciaret ipſe Superis inſignem palmam,
Ac terrarum trophæa inferret Cælo.
Dormit hic Vir beatiſſimus,
Neque moleſtum illi, tuis excitari precibus.

AD MELCHIADIS PONTIFICIS

Tumulum

INSCRIPTIO XXXIII.

Pōt. 33. Melchiades ſitus hoc tumulo: ne diues acerra
Ann. D. Thura neget: ſatis hoc dignus honore Cinis.
312. Africa flammiuomis naſcentem excepit in vlnis:
Vendicet ipſa licet Mantua Ibera ſibi.

Quàm

Quàm facilis potuit conſcendere culmina Romæ,
    Qui iam promeritis tangeret aſtra ſuis.
Illi pura fides animo, mens conſcia pulchri,
    Rarus & in niueo pectore candor erat.
Dum ſedet Is, magnis complet fulgoribus Orbem,
    Atque iterat palmas Crux generoſa ſuas.
Nanque Aquilis Aquilæ, Romana atque arma minantur
    Romanis armis; bellaque vtrinque furunt.
Hinc Conſtantinus, Maxentius inde phalanges
    Vrgent: iam premitur pes pede, virque viro.
Sydere cùm rutilat fauſto aſpectabile ſignum,
    Implet & inſolito Cæſaris igne ſinum.
Ille ardet, mileſque ardet: nil pectora magnæ
    Plena animæ, intrepidus nil timet ille vigor.
Lignum acuit ferrum: ſacroque hoc auſpice Ligno,
    Hic fugat, hic rutilo territus enſe fugit.
Parta trophæa Cruci dat Conſtantinus: vbique
    Crux micat: Illa domi cernitur, Illa foris.
Gaudet Melchiades, ſæuum cecidiſſe Tyrannum,
    Atque acies, viſa diſperijſse Cruce.
Hinc ſiquidem magnæ mentis, fideique Latinæ
    Semina in Auguſto Principe prima videt.
Interea aduigilans circumfert lumina, ne qua
    Afflet Chriſtiadum pectora dira lues.
Donatum, ſobolemque cauet, quam viſa cruentis
    Faucibus immitis Styx vomuiſſe ſuis.
Edocet, aſſiduis terret latratibus, ore
    Atque indefeſſo, quæ fugienda, monet:
Peruigil at priſcis dum legibus excubat, annos
    Tres vbi regnauit, fata inopina ſubit.
Hicque pios Manes, hic implorata, flagrantis
    Inſtrumenta Animæ, pignora Roma colit.

AD SILVESTRI PONTIFICIS Tumulum

INSCRIPTIO XXXIV.

Pŏt.34. Diue, triumphales hac tu, Silueſter, in vrna
Ann. D. Exuuias condis, quas ciuis, & aduena prona
315. Mente colit, meſse & Cilicum veneratur odora.
Chriſtiadis fauſtum nomen. Dum prælia magnus
Conſtantinus obit; durum ferroque Tyrannum
Tundit; Vittatus per non ſua bella triumphat
Silueſter, Romam & ſpolijs illuſtribus auget,
Romanamque fidem. Victor fuit ipſe triumphi
Pars magna, & decus inſuperabile Conſtantinus.
Nanque vbi dant animos rutilæ pendentia Cælo
Signa Crucis, ſternitque acies, atque agmina mille
Cæſar, mutato ſpes pectore concipit altas,
Agnoſcitque Deum cultu, & dat nomina Chriſto.
Scilicet exutus trabea, gemmataque frontis
Stemmata magnanimæ, luſtrali mergitur vnda;
Itque per auguſtam ceruicem, & pectora nuda
Fons riguus, dextrà manat qui diuite vena
Silueſtri. Sic preſſa diù caput extulit alma
Relligio: Latijs creſcit reuerentia Sacris:
Templorum patuere fores: arſere verendis
Publica thura focis: Crux ſydere clarior, auro
Et culta Attalico, toto reſplenduit Orbe.
Æui has nempè vices; hæc conceſſere trophæa
Numina Silueſtro, rigido qui fuſa metallo
Secula, confeſtim fuluum mutauit in aurum:
Cui Cæſar chlamydemque ſuam, tunicamque ſuperbo
Murice fulgentem, atque inſignia Cæſaris vltrò

Ob-

Obtulit, & nutu frænare dat Itala Regna.
Nec ſatis hæc Magno. Siquidem Laterana ter amplo
Ceſſit tecta Patri: Phrygijs vbi templa columnis
Inclyta molitus, ſurgenti ad ſydera moli
Commodat ipſe humeros. Similis dat baiula colla
Relligio ſaxis, dum fundamenta locantur,
Quà Vaticano ſurgunt templa æmula cliuo,
Tecta alia Auguſti manus indefeſſa Tonanti
Extruit, & Diuis, cenſu quæ diuite munit,
Et decorat, factoque auro, & Garamantide gemma:
Munera dum cumulat Cæſar, fideique Latinæ
Addit mole decus multà; tu legibus ornas,
Silueſter, populiſque tuis das iura, pijſque
Moribus emendas. Centena hinc agmina Patrum
Conflantur Romæ: Lata hinc Conſulta Senatus
Nicæni, quibus è tumulo vel dextra ſepulta
Subſcribit; nomenque notat rediuiua papyro.
At rem Chriſtiadum poſtquam fundata per Orbem
Viſa iterum: poſtquàm & Silueſtro magno auſpice, Diuum
Acceſſere ſacris decora, ornamentaque templis,
Aris relligio, candor mortalibus, ipſis
Priſcus honor Diuis; grandæuum miſcuit aſtris
Clauigerum virtus. Iacet hac nunc pignus in vrna
Nobile, bis denos vbi ſedit, & amplius annos.

AD MARCI PONTIFICIS
Tumulum
INSCRIPTIO XXXV.

Pont. XXXV Ann.D. 336.

Marcus Pontifex, Romanus patria,
Eius expreſſit vitæ formam,
Cuius nominis hæres fuit.
Silueſtro ſucceſſit,
Ne quod Ille ſanctiſſimis legibus excoluerat, ſilueſceret,
Qui templa poſtea meruit ſanctimonia morum,
Geminum extruxit templum:
Alterum, ipſius poſtea nomini dedicarunt,
Vt ipſemet Baſilicæ ornamento eſſet,
Qui auctor fuerat:
Alterum via Ardeatina, in quo conditus:
Quieſcitque in ſuæ pietatis ſinu.
Hoſtienſem Epiſcopum donat pallio,
Cui id muneris, vt Pontificem conſecret.
Quã benè Chlamydatã diuinitatẽ cõſecrat dignitas palliata.
Hoc Pontifice,
Publicum illud Orbis malum,
Aries prædirus Eccleſiæ, non Arius,
Illi oppugnandæ infauſtè natus,
Inquinatiſſimam efflauit animam.
Ipſemet ſpiritus cohorruit ab eo ore egredi,
Vnde tot manauerant conuicia Numinis:
Egeſſitque ſeipſum fœdè,
Vt per infima ea viſcera expeditiùs Herebum peteret.
Procreati vermium inſtar Ariani,
Vt multiplicatus in ſobole,

Non

Non vnus vapularet ab Orthodoxis Arius.
Viſus octonos non amplius annos Marcus viuere:
At illum vetuit mori ſanctitas,
Caletque in cinere ſuperſtes virtus.

AD IVLII PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO XXXVI.

Iulius Pontifex Primus, *Pōt.36.*
Ruſtico Patre, moribus fuit vrbaniſſimis. *Ann.D.*
A Silueſtro Pontifice Infulis cohoneſtatus, *336.*
Id maximè ſtuduit, ne quid eſſet ſilueſtre in moribus.
In ipſo ſtatim Pontificatus initio
Conſtantini Cæſaris funus contigit.
Ad exortum nempè Iulij ſyderis
Inumbrari debuit ignis minor,
Ceſſitque Magnus Maximo.
Id Iulio primum, Religionem expiare.
Romanam ad Synodum confluxit Infulatus Orbis.
Immolatus olim in Nicæna Synodo ad pietatis aram Arius,
Iugulatur hic iterum.
Nihil hac victima Orbi gratius,
Quæ toties cæſa cadit.
Excitati Iulij nutu & Cœtus alij Oecumenici:
Coactique è toto Orbe Præſules,
Vt toto exularet Orbe ſuperſtitio.
Scriptis etiam epiſtolis, ſtylo hæreſim figit;
Quàm

Quàm bene harunce epiſtolarum tabellaria
Diuini fuiſſet Spiritus Columba,
Quæ illas dictauerat!
Athanaſium, hoc eſt, Arianæ prauitatis ſcopulum,
Arianorum turbinem,
Intrepidè profugum,
Abſterſis hoſtium calumniis, Eccleſiæ reſtituit ſuæ;
Ne ſine inuictiſſimo hoc Alexandro eſſet Alexandria.
Profligatis hæreſum monſtris,
Vt ad gratiarum actionem ritè litaret Numini,
Non vnum excitat templum.
Figuris ornat, vt Diui ipſi ſuis excubarent Baſilicis.
At diuturno labori debebatur quies,
Quam poſt Quintum decimum Pontificatus annum,
Attulit tempeſtiuè mors,
Strato beatis Manibus hoc tumuli cubili.

AD LIBERII PONTIFICIS
Tumulum
INSCRIPTIO XXXVII.

Liberio Pontifici Maximo, Romano
Pōt. 37. Nihil contingere iucundius debuit,
Ann.D. 352. Quàm mors ipſa, & in tumulo quies;
Cui nihil acerbius vita.
Quippè difficillima, atque aſſidua veluti in arena
Certandum illi
Cum immaniſſimo Cæſare, an Leone cæſariato?
Cum

Cum truculentiſſimis Arianis,
Cum exilij ærumnis,
Cum Pſeudo Pontificis partibus,
Cum ſuis, cum exteris fuit.
Viſus, non tam Petri Claues, quàm Pauli Enſem accepiſſe,
Vt tot conficeret monſtra.
Pontificatus initia funeſtauere ſtatim Ariani Præſules.
Damnari magnum Athanaſium poſcunt:
Nempè viuam illam, atque ambulantem fidei arcem petunt.
At Liberio ea vis pectoris,
Vt inconcuſſum Athanaſij æquaret robur.
Ad Coſtantium Auguſtum vi raptus,
Decumanam Conſtantio oppoſuit conſtantiam.
Cuius paulò ante reſpuerat munera,
Iratos non timuit vultus.
Quæ maieſtas deceret Pontificem, quæ libertas Liberium,
Probauit tùm Cæſari.
Hinc ad Thraces exilium.
Hoc eſt, ad Barbaros à Barbaris.
Neque vllus exilij illi locus,
Qui Patriæ commoda tolerantia circumferebat:
Nullibi gentium exul, vbique terrarum ciuis.
Liberij ſolium Felix occupat: *Schiſma ſecundũ inter Liberium P. & Felicem Ant.*
An feliciter: Ipſimet, qui euexere, Ariani docent.
Nam quæ felicitas Arianorum auſpicijs?
Sed Felix religione orthodoxus,
In Arianos, in Conſtantium perindè inuehitur.
Neque tuta ab eius fulmine Cæſaris Laurus fuit.
Potitur hinc ipſe martyrij laurea.
Liberius Romam redit, non Romanorum plauſu.
Infractus minis, blanditijs frangitur,
Obſignata in Athanaſium ſententia.
Frontem nempè exuit ſeueriorem, non fidem.
Nam, reſumpto mox robore, redijt Liberio Liberius.
Athanaſium, religionis vindicem,

In

In Concilio Ariminenſi vindicat:
Inuictus vicit,
Cum Nouatorum malis artibus videri victus poterat,
Quam tuetur ſupercilio religionem, ornat molibus.
Liberianam Deiparæ Baſilicam excitat,
Quam cadentes,candentes deſcripſerant niues.
Intactæ adhuc in ſeculorum memoria
Exquilinæ hæ niues durant:
Vt neſcias, diuturniores illæ ſint, an ipſa templi ſaxa?
At Liberius diù cum hoſtibus luctatus,
In ſuprema tandem mortis palæſtra cecidit.
Inſcripſit Faſtis nomen vitæ ſanctitas,
Quæ & tumulum hunc, & Cinerem conſecrat.

AD DAMASI PONTIFICIS

Tumulum

INSCRIPTIO XXXVIII.

*Pōt.*38. *Ann.D.* 367.

Natales Damaſo generoſa Hiſpania cunas,
Et Tagus aurifero nobilis amne dedit.
Dat nunc Roma pio cineri monumenta, Latinos
Quæ dederat faſces, Numinis atque vices.
Mente capax grandi: format ſapientia doctum
Pectus,& ingenio vis operoſa fuit.
Aureus eſt lingua: Muſæ placuere diſertæ,
Quas docuit ſacris tendere plectra modis.
Cura tamen princeps, virtus, pietaſque, beatum
Et meritis Cælum promeruiſſe ſuis.

Hac ope Romulidum chlamydem, ſedemque curulem
Comparat, & rutilant ſerta ter ampla comis.
At rata dum ſummum vulgant ſuffragia Patrem,
Altera mentitum nũtiat vrna Patrem.
Scinditur hinc vulgus, rixæ miſcentur, & acri
Certatur ferro paſſim, animique furunt.
Vicit, Io; Damaſus: firmat Comitia Cæſar:
Æmulus, abiectis faſcibus, exul abit.
Nec mora: ramoſa hæreſeon ne creſceret hydra,
Molitur fulmen, collaque dira petit.
Helloſpontiacam Zenobius appulit Vrbem:
Sic Damaſus iubet, vt perdomet hic Arium.
Conſcribit tùm ritè Patres: Auxentius, atque
Illius vnanimi figitur ore fides.
Cogitur & Romæ Cœtus; damnatur & Ille,
Impia cui mendax nomina Apollo dedit.
Atque iterum diris Arius, petiturque Sabellus,
Photinuſque iterum, falſus & Eunomius.
Nec ſatis hic Patrum Conuentus; agmine facto,
Inque acies Præſul cernitur ire nouas.
Aſpicit atque ſuos Cœtus Aragonia: Orontis
Vrbs numeratque ſuos, & noua Roma ſuos.
Mille hinc tela rotat Damaſus, tumidoſque Gygantes
Perdit milleno fulmine Centimanus.
Sacra auget cultu. Pompeij celſa theatra
In noua Laurenti templa abijſſe vides.
Excitat & moles alias, Cinereſque verendos
Diuum Pierio carmine Muſa beat.
Vixit Myſta diù magnus, tenuitque ter ampli
Numinis intrepido pectore ſceptra diù.
Egiſſe at longos magnis virtutibus annos,
Mira, Cinis latitans quæ facit, illa docent.

AD SIRICII PONTIFICIS Tumulum

INSCRIPTIO XXXIX.

Pōt.39. Vrna hæc Clauigero meta Siricio ;
Ann.D. Hic dormit Pater almus :
385. Romanus patria , ſceptra vicaria
Petri , frænaque mundi
Prenſat , Chriſtiadum vt moribus imperet ,
Orbi & iura miniſtret .
Arſere in niueo pectore nobiles
Flammæ : ſic fera monſtra
Strauiſſe hæreſeon ſanctior Hercules.
Telo cernitur acri .
Cœtus cærulea ſplendidus Infula ,
Maturo & grauis æuo ,
Romæ grandiloquo cogitur agmine ,
Sacro & fœdere nexi ,
Fœdam conficiunt perfidiæ luem
Patres vnanimi ore .
Te facunda petunt agmina Præſulum ,
Illa & tela , Nouate :
Peſtem vt ſacrilegi pectoris euomas ,
Erroreſque retractes .
Nec ſiſtit rigida mente Siricius
Moliri noua bella .
Non vnas acies armigeras Patrum
Magno cernis in Orbe .
Chriſto quiſque ſuo fulmine militat ,
Cædes ſpirat & atras .

Hinc

Hinc Manes, cadit hinc Eunomius, cadunt
　Hinc portentaque mille.
Exuuias poſuit ſed Pater Inſubrum,
　Orbem & merſit acerbo
Mœrore Ambroſius, quem ſua grandibus
　Virtus miſcuit aſtris.
Et magna Aurelij doctiloqui Parens
　Pulchra morte quieſcit.
Hos inter rutila fronte Siricius
　Terras ætere mutat.
Bis quinos tenuit dextera ſanctior
　Claues, ſceptraque Petri.
Defunctumque piè Pontificem, ſuis
　Vlnis hæc fouet vrna.

AD ANASTASII PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO LX.

Quem lecti mores, illibatuſque Latinæ *Pont. XL. Ann. D. 398.*
Relligionis amor ſuprema ad culmina rerum
Vexit, Anaſtaſius Romano ab ſanguine magnus;
Hic iacet: inſcribi meruit quæ diuite virtus
Auro, inſculpto hæc loquitur facunda metallo.
Pectoris egregij inſuperabile robur, & ignem
Fuſa probant monſtra hæreſeon, fractique chelydri,
Quos Oriens pepe rit fœcundus, & intulit Orbi,
Imbuat vt diro mortalia corda veneno.

Aſſertor praui Rufinus Origenis aures
Verberat infandis erroribus; ore rotundo
Et loquitur Romæ, iuratque in verba Magiſtri.
Ardet Anaſtaſius, teloque inſurgit, & acri
Senſa ſupercilio proſcribit Origenis, atque
Ingenium, & quicquid chartis inſperſit ineptis;
Rufinumque graui percuſſit fulmine: damnat
Hæc dum Niliacus Patrum portenta Senatus.
Inde petit mores, corruptaque pectora ſummus
Sacrorum Cuſtos, ter magni atque Arbiter Orbis;
Relligio vt redeat populis, & candor auitus.
Excitat & Cœtus Carthagine: plurima feruet
Infula centeno docti ſtant agmine Patres,
Vittatique Numæ, legeſque, & iura miniſtrant.
Suntque ſimul melior lex ipſi, & norma ſacrorum.
At munus, Spartamque ſuam dum ſedulus ornat,
Rerum mole graui preſſus, ſenioque profundo,
Claudit Anaſtaſius fatali lumina ſomno:
Egregiè quatuor poſtquam regnauerit annos.
Nempè citò: excidium Romæ, clademque Gothorum
Ne lachrymis videat manantibus: inclyta tantum
Sed nec Roma diù viſa eſt, meruiſſe Parentem.

AD INNOCENTII PONTIFICIS I.

Tumulum

INSCRIPTIO XLI.

Pont. XLI. *Ann.D.* 402.

Innocentio Pontifici Primo, Albano
Nullus par tumuli honor;
Neque hæ illum audent literæ commendare,
Quem Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus,
Chriſtianæ facundiæ Triumuiratus,
Abundè comendarunt.
Pectus à virtutibus verè aureum,
Dixiſſes à fortitudine verè æreum.
Certâuere cum improbis ingenijs praua tempora:
Vtraque vicit Innocentius:
Vt ab inſigni conſtantia Martyris nomen inuenerit.
Scilicet, laurea Viro defuit, non Vir laureæ.
Hoc Pontifice,
Britannia, non Africa Monſtrum edidit,
Nempè Pelagium.
Cui potiora humani arbitrij, quàm Dei iura.
Inire à mortalibus gratiam haud eſt veritus,
Tanto cum dehoneſtamento Dei gratiæ.
Humanæ libertatis aſſertor,
Diuinæ decoctor liberalitatis.
Inſurgit Innocentius: ferro, igne agit.
Damnatur Romæ, damnatur Carthagine Tenebrio:
Infenſæ olim inuicem hæ magnæ Vrbes,
In hoſtem hunc fœderantur.
Ab Alarico Vrbs ſacra diripitur.
Gothos auri fames agit, & ſanguinis ſitis:
Hinc opes vorant, cruorem hinc bibunt:

Quod

Quod erat Romæ pretioſius, nempe Innocentius,
Barbarorum manibus eripitur.
Fugientem excipit ſinu Rauenna,
Cuius ſplendori viſa deſeruiſſe Romana clades,
Excepto nimirum inclyto Exule:
Qui vbi terquinos regnauit annos,
Diem obit ſuum.
Dignus, quē os illud Chryſoſtomi aureū æternitati cōmēdet,
Quando Is Viri eloquentiam, famam, nomen, ſanctimoniam
Etiam poſt fata ſuperſtitem voluit;
Inſcripſitque Faſtis,
Quos & Ipſe commeruit.

AD ZOSIMI PONTIFICIS

Tumulum

INSCRIPTIO XLII.

Zoſimus è magna Græcia Romanus Pontifex,
Pont. XLII. Ann. D. 417. Situs hic prope Laurentium, & Stephanum,
Vt ſuorum nominum alter lauream, coronam alter
Triumphali Viro commodaret.
In Pelagium bellum indixit implacabile.
Quid niſi fluctus, ac tempeſtates concitare Pelagius debuit?
Nec pelagus modò is fuit; ſed turbo, aquilo, ſyrtis, ſcopulus.
Fluctuaſſe Petri nauim, parum eſt:
Sorberi penè viſa eſt ab hac Pelagij charybdi.
Allatrat ad hanc Scyllam Zoſimus.
Xerſes fuit, qui compedes iniecit pelago,
Dam-

Damnato rite Pelagio,
Probatoque Carthaginenſi Concilio,
In quo Pelagius, Pelagiani exibilati.
Cæleſtium item, quo nihil ſceleſtius,
Pelagij Primipilum,
Proſcripſit Zoſimus.
Viſus Gygantum more cæleſtia impetijſſe Cæleſtius:
Sed, fulmine occurrit Pontifex,
Illumque è ſuperbiæ ſuæ montibus dat præcipitem:
Oſtenditque, nihil fuiſſe tam propè Tartara, quàm Cæleſtiũ.
Annum vixit: at, ſi ſanctimoniam inſpexeris,
Exceſſiſſe ſeculum, dices.

AD BONIFACII PONT. PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO XLIII.

Bonifacius Pontifex Primus, Romanus, *Pont.* *XLIII.*
Exutus mortalitatem, ſpolia hic depoſuit, *Ann.D.*
At non ideo nudus Cœlum petijt, *419.*
Chlamydatus virtutum auro.
Ad Petri Sedem Romanorum plauſu raptus,
Petri Sedem, ac ſuam rapi videt ab Eulalio.
Sciſſa hinc Chriſti Infula. *Schiſ.4.*
Eulalij cauſa Honorio Auguſto placuit, *inter Bo*
Ponifacij Deo. *niſ. Pōt.*
Deceptus namque Honorius, *& Eul.*
Id honoris auferre Bonifacio ſtuduit. *Antip.*

Tu-

Tumultuatio Pſeudo-Pontifici
Aula, ac vulgi aura dum fauet,
Expulſus penè ab Vrbe eſt Orbis Pater.
At, oborta luce, agnouit Cæſar Bonifacium,
Quem aulicus infuſcauerat liuor.
Romana è Sede deturbatur Eulalius,
Qui Romanam turbauerat rem;
Nactus pro ſolio exilium.
Bonifacius, abacto ſchiſmate,
Schiſmatis hæreſim collactaneam triumphauit.
Nil illi antiquius, quàm Nouatores exſcindere.
Auguſtinum, hoc eſt, monſtrum illud Africæ adhibet,
Vt hæreſum monſtra confodiat.
Iuliani, Capuani Antiſtitis Epiſtolas,
Quæ non ſalutem de more, ſed exitium dicerent religioni,
Eidem Auguſtino, non manu, ſed ingenio, ac ſtylo
Diſcerpendas mittit.
Hoc Pontifice,
Hieronymus, ſapientiæ auguſtale deſinit viuere,
Penè centenarius.
Hoc emetiri æui ſpatium debuit ingeniorum Phœnix:
Bonifacius quinto Pontificatus anno,
Qui citò Cælum meruit, non ſerò petijt:
Inſequutus Honorium Cæſarem,
Qui eundem hunc annum funeſtauerat exitu.
Conſepultus in hoc D. Felicitatis cœmeterio,
Ne magnæ inuiderent Animæ oſſa:
Vtraque nunc ſcilicet in felicitatis ſinu quieſcunt.

AD CAE-

AD CÆLESTINI PRIMI Tumulum

INSCRIPTIO XLIV.

Pont. XLIV. An. D. 423.

Æquat nomina moribus, ſereno
Et Cælo eſt propior Parens hic Orbis,
Mentis indole, pectoriſque cultu.
Dat Vittam meritam, Infulamque Roma,
Quæ cunas dederat, genus, parentes.
Summa ad culmina prouocat decora
Virtus, & pietas, amor ſacrorum,
Quæſitus meritis fauorque mundi.
Dum regnat ſapiens, latenter antris
Erupit Stygijs cruentus anguis:
Fax illa, & fidei lues Latinæ,
Ingens Neſtorius, tetrumque monſtrum.
Audax Virgineam negat, Parentem
Fudiſſe è niueo ſinu Tonantem.
O deuotam Herebo, impiamque linguam;
O palmare ſcelus, probrumque mundi.
Intentat trifidas faces, minatur
Vindex vltima Iuppiter Latinus.
Hinc horrendum Epheſus tonat, ſacriſque
Diris impetit improbum Magiſtrum.
Hinc priſcum redijt decus, Deoque
Mater aſſeritur, Deuſque Matri
Curas admouet interim Britannis,
Quos fax altera corripit, fidemque
Auitam temerat profanus hoſtis.
Fert Germanus opem, diſertus ore:
Magno & Præſule miſſus, allatrando

Lupus Chriſtigenas oues tuetur,
Hæc ſed tempora Vandalus cruentat,
Et vexat Libycas auarus vrbes,
Importatque Arium, ſeueriorem
Ferro, milite, Thracioque Marte.
Hinc Aurelius indolet, per Afros
Graſſari noua monſtra queſtus, atque
Confectus nimio dolore, terras
Relinquit, rutilis potitus aſtris.
Tangunt Chriſtiadum Patrem aduenarum
Hæc incommoda ſæua Barbarorum:
Mœretque, illachrymatque, turbidoque
Hoc æuo, & ſenio occidit ſubactus.
Octonos placidè, pièque Soles,
Lunas atque decem præeſt: Corporæ
Hic demum exuuiæ, cinisque iacent.

AD SIXTI PONTIFICIS TERTII

Tumulum

INSCRIPTIO XLV.

Tertius hac tegitur virtute ter optimus vrna
Pont. XLV. Sixtus: Roma ſuis naſcentem hunc excipit vlnis,
Artibus & pulchris, niueis & pectora format
Ann. D. 432. Moribus, vt Latij par eſſet honoribus, atque,
Chriſtiadum meritâ regeret fræna aurea dextrâ.
Hinc Romæ Solium conſcendit grande, daturus
Iura Orbi: At virtus ardens dum fulgurat; audet

Men-

Mendax lingua ſcelus : caſti nam nomina Patris
Commaculat, vulgatque, ſacræ libaſſe pudorem
Virginis. At tanti deprenditur ilicet auctor
Criminis : intorto vindex & fulmine Cæſar
Detonat in facinus, Nemeſiſque emendat acerba.
Sixto illibatus candor : nec pectore puro
Relligio minor : in monſtra illætalia fertur
Hæreſeon : videt infandi execrabile corpus
Neſtorij, & fœdè linguam putruiſſe ſuperbam;
Virgineam in Matrem dum vult facunda videri.
Qui colit at Cæli Dominam,templa excitat illi
Inclyta ad Exquilias, Phrygio ſurgentia ſaxo,
Argentoque aras, multoque illuminat auro.
Eſtque alibi lautus. Fuluo Delubra metallo
Pleraque nam fulgent; lychnus pretioſiùs ardet
Non vnus; ſplendetque calix Garamantide gemma.
Dum ſedet at Romæ Sixtus, pia pignora Romam
Principis Athletæ fert magna Eudoxia,& addit
Romulidum palmis palmas, ſerta aurea ſertis:
Quique Paleſtinis Stephanus pugnauit arenis,
Quam bene Tarpeia victor nunc rupe triumphat!
Attulit & ſacras, rigidaſque Auguſta Catenas,
Quas chalybe è duro Petrus tunc reddidit aureas
Attactu: hoc Illa inſigni ſibi munere Romam
Deuincit: necti his gaudet ſe Roma catenis,
Et putat antiquos nunc inſtaurare triumphos.
Sixtus at octonos meritis vbi faſcibus annos
Ornauit, magniſque ſuum virtutibus æuum;
Occurit letho lætus, Cæloque potitus,
Hunc Cineri tumulum delegit, grandior vrna.

AD MAGNI LEONIS PONTIFICIS I. Tumulum

INSCRIPTIO XLVI.

Venerare hic, Hoſpes,
Pont. Pontificem, ideò ter Maximum,
XLVI. Quia magni cognomentum incomparabili virtute inuenit:
Ann.D. Leonis oſſa hic iacent,
540. Cui Leonis olim maieſtas, ac cætera indoles.
Si, in quæ incidit tempora, ſpectes,
Dices, Diuinitatis conſilio datum tunc Orbi,
Vt non tam Leo,
Quàm, profligatis monſtris, Hercules eſſet.
Vides impium in Orientem Neſtorium,
Efferatos in Occidente Barbaros,
Perditos in Africa Manichæos.
Tot belluas vnus hic Leo diſcerpit, aut fugat;
Vt nullus Romanis olim in theatris tot ſtrauerit corpora
Leo Pœnus.
Manichæos, dum Romæ, hoc eſt, in ipſa luce mortaliũ latent,
Suis è luſtris prodire cogit in lucem ad mulctam,
Tenebrionum voluminibus igni traditis,
Publica hac luce dignis.
Concilijs agit Oecumenicis,
Vt nullibi conſiſteret impietas,
Quando totus illam Infulatus inſectaretur Orbis:
Et Chalcedone quidem victrix, Romæ triumpharet religio.
Attilam in Sacræ Vrbis excidium inuolantem,
Sua exarmauit rabie inermis.
Auream eloquentiam dixeris tunc ferream,
Quæ cruentum adeò Regem fregit.

Vo-

Voraſset licet ſpe Romanas opes Attila,
Ieiunus redijt in Patriam,
Contentus reſtinguendæ ſiti ſuo Danubio.
Par Genſerico furor.
Roma, quòd non arſerit, Leoni debet,
Qui flumine diſerti oris
Flammam merſit impij Regis.
Direpta nihilominùs Vrbs, diues adhuc remanſit,
Leone ſuperſtite.
Nec calamo temperat Sapientiſſimus Pontifex;
Confirmandæ fidei.
Cæſares appellat epiſtolis lucubratiſſimis.
Ardent citra cinerem paginæ:
Citra tonitru fulminant:
Erudiunt mutæ.
Nullum facundiæ aurum purius ab acri hoc Zeli igne.
Is tamen, vt proſeminatam terris, demeteret Cælo ſegetem,
Conſcendere aſtra debuit,
Ac ſupra ſydereum leonem Leo flagrantiſſimus collocari.
Pontificatus annos ſupra viginti
Clarorum operum fama, famæ luce,
Scriptione voluminum, proſcriptione hæreſum;
Vitæ laude, plauſu Orbis
Mirè condecorauit,
Atque ita extendit, vt in hominum memoria æternos fecerit
Iacentque hic Leonis magni triumphales exuuiæ.

AD HI-

AD HILARI PONTIFICIS
Tumulum
INSCRIPTIO XLVII.

Hic Hilaro ſecura quies ; licet excubet aure
*Pōt.*47. Peruigili, atque preces audiat ipſe cinis.
Ann.D. Quam mare cæruleis Libycum complectitur vndis,
441. Sardinia aſtrorum faſcibus hunc genuit.
Pubem ornat ſenio morum , ſeniumque profunda
Vi mentis : ſimilis, par & vbique ſibi.
Itque Epheſum : magni præfert mandata Leonis,
Summo iure *P*atrum Concilioque præeſt.
Poſt vbi terrarum , Cælique in ſceptra vocatus,
Publica Romano è culmine iura regit ;
In monſtra inſurgit, clauam expedit, Hercule maior ,
Et ſeptimgemino vertice Lerna cadit.
Fulmine Neſtorium , Eutychetem fulmine perdit :
Ille Leo , ille draco nempe cruentus erat .
Quos Epheſus celebrat, ſacros quos Nicia Cœtus ,
Chalcedone & magni quos habuere Patres ;
Hos Hilarus, fidei ceu firmamenta Latinæ,
In pretio , & ſummo ſint in honore, iubet.
Sunt inopes cordi, quos & chlamys aurea nudos
Contegit, atque auro diuite dextra fouet.
Quid noua Cælitibus memorem ſurgentia templa ?
Addita quid templis vela ſuperba nouis ?
Artifici quid ſaxa manu ſpirantia ,& aras
Attalico cultas ſyrmate, & ære graui ?
Largas fundit opes : in ſacras cernitur aurum
Ire cruces, fulget multo adamante calix.

Eſt

Eſt geminus lychno ſplendor : nam lumine puro
Fulgurat, argento & fulgurat ipſe ſuo.
Numinis ac cultum, Numenque ornare peracri
Dum pergit ſtudio, mors inopina rapit.
Septima Pontifici magno vix ferbuit æſtas,
Cum tulit egregius præmia ſumma labor.
Spiritus vtque citò ad ſublimia curreret aſtra,
Quæ curſum impediunt, abijcit hic ſpolia.

AD SIMPLICII PONTIFICIS
Tumulum
INSCRIPTIO XLVIII.

Simplicio Romano Pontifici
Non ære, non marmore,
Sed cultu ſimplici tumulus contigit. *Pōt.* 48
Niſi quòd morum ſanctitas, ac Cinis ipſe, *Ann.D.*
Supra quicquid eſt peregrini ſplendoris, 467.
Vrnam ornant.
Naſcentem excepit Tibur, Tybri daturum iura.
Diuturnum Pontificatum breuem fecit amore omnium.
Quàm plures emenſus Cæſares,
Vicit illos animi celſitudine, vinxit beneuolentia.
Chriſtianam Religionem moribus amplificat,
Propugnat ſtylo,
Scriptis ad munimentum literarum monumentis:
Exerto interdum fulmine,
Damnatoque Petro Alexandrino.

Mo-

Molibus etiam fulcit,
Exædificatis baſilicis, templiſque magnificè;
Nec defuit ſacro inſtrumento nitor ab eius auro.
Cætera eius facta vetuſtas obruit.
Inuoluère tenebræ exacta ſanctiſſimè tria luſtra.
Tu procumbe, hoſpes, ad ſacros Manes:
Sciueris auritos Cineres, nec ſurdum marmor.

AD FELICIS SECVNDI, SIVE TERTII
Tumulum

INSCRIPTIO XLIX.

Pôt.49. Ann.D 483.

Qui iacet hic
Felix Pontifex Secundus,
Non tam nomine, quam Sanctimonia
Fortunare ſua ſtuduit tempora.
Sed inſperſere malè feriata ingenia
Tantæ felicitati ſuum fel.
E gente Anicia magni Gregorij magnus Atauus,
Auguſto generi cumulando,
Conſulatus faſcibus, Cæſarum trabeis,
Addit Petri Chlamydem.
Labor illi cum hæreſum monſtris.
Teterrimæ hydræ capita
Caput ipſum Orbis, Zeno Cæſar adaugebat.
Is, dum de Religione leges ſcribit,
Vltra crepidam Sutor,
Accipere à Romano Pontifice leges cogitur.
Inau-

Inauſpicato Auguſti decreto
Subſcripſere alij, proſcripſit Felix :
Qui etiam, indicta Romana Synodo,
In Fullonem, in Acacium,
Solenne improborum par,
E Vaticani arce detonuit.
Hoc Pontifice,
Extinctum olim in Cypro Barnabam,
Natales tenebræ edidere in lucem.
Matthæi Euangelium ſecum attulit :
Auctuſque eſt gemino munere Chriſtianus Orbis,
Pio Barnabæ cinere, & Matthæi literis :
Vtrum illuſtrius, incertum.
At Felix,
Cui nulla in Petri Sede quies,
Suo zelo, aliorum impietate agitatus,
Poſt annos circiter nouem
Receptus Cælo eſt,
Vt felicior eſſet in ſinu æternitatis.

AD GELASII PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO L.

Dum per Sydeream coruſcus aulam
It Gelaſius, arduis remiſtus — *Pont. L.*
Diuis, hoc ſimul incolit ſepulcrum : — *Ann. D.*
Quieſcit tumulo, & quieſcit aſtris. — 492.

Cunas Africa præbuit : nec ardens
Semper Africa dira monſtra fudit.
Eſt mens artibus erudita cultis,
Eſt & copia Tulliana fandi :
Facunduſque calet ſtylus, diſerto
Si telo Eutychium, Ariumque figit.
Non vnum ſiquidem aureum volumen
Cudit ingenium, manuſque docta,
Hos vt perdomet, ore qui ſuperbo
Pares Encelado Deo minantur.
Quin Anaſtaſius, decorus oſtro
Cæſar Threijcio, grauiſque ſceptro,
Sentit tortile fulmen, & tonantem
Petrum, dum fauet impijs Magiſtris.
At dum Chriſtiadum Pater Gygantes
Telis anguipedes ferit triſulcis;
Dextra largifluus, micante diues
Auro, pauperiem fouet malignam.
Tùm Delubra dicat, ſtruit, perornat:
Et nunc velificat Paros, fodinas
Nunc & picta ſuas polit Caryſtos.
Annos bis quatuor ſedet curuli
Perſanctè in Solio : dieque functus,
Huic vrnæ exuuias dedit verendas.

AD ANASTASII SECVNDI Tumulum

INSCRIPTIO LI.

Ceu latebras quærat, cæcis & gaudeat vmbris, *Pont.*
Quàm bene Anaſtaſius conditur hoc tumulo. *L I.*
Obtutus fugit ille hominum, lucemque perodit, *Ann. D.*
Conſcius arcani pectoris ipſe ſui. *497.*
Nam qui Romulidum decorat primordia ſceptri,
Et faſces pura relligione ſacrat;
Transfugia & punit fidei, Auguſtumque vel ipſum
Fulmine Anaſtaſium peſdidit horriſono;
Poſt, illum arguto ſic flectit Acacius ore,
Fregerit vt magni pectora ahena Patris.
Conniuet nanque is ſceleri, duroque nefaſtum
Tentat ab exilio mox reuocare caput.
Hinc famæ probrum, clarique hinc nominis vmbra,
Hinc & Chriſtiadum triſtis vbique dolor.
Nam licet haud labes infecerit intima pectus,
Viſa vel attactu ſat nocuiſſe leui.
At non lenta manus facili mouet indole lentum
Pontificem, & pœnam mors inopina capit.
Hicque ſua tumulus velat caligine vultus,
Ne ſe purpureo prodat in ore pudor.

AD SYMMACHI PONTIFICIS Tumulum

INSCRIPTIO LII.

Pont. LII. Ann. D. 499.

Poſt varios in Pontificatu motus
Hic tandem Symmacho quies.
In Sardinia natus,
Didicit à patrijs ſcopulis
Procellas frangere immota mente.
Conſalutatus Laterano in templo Pontifex;
Diffidentibus Comitijs,
Alterum videt in Exquilijs ſacrorum Regem,
Ac ſuum habuit Romano in Circo Antagoniſtam.
A partium ſtudijs ſciſſa in partes Petri Chlamys.
In gemino Pontificum vultu
Viſum aperiri Iani templum,
Excitatis non ſine cædibus turbis.
Niſi indictum Rauennæ Concilium turbinem diſſlaſſet,
Actum iam erat de communi tranquillitate.
Adiudicata Symmacho cauſa,
Veluti bis Pontifex fuit.
Scilicet, ea erant Viri promerita,
Vt vnus illi non ſufficeret Pontificatus.
Sed neque diuturna hæc maris otia.
Accerſito Romam Pſeudo-Pontifice,
Decumani iterum fluctus.
Hinc in Vrbis medio Campi iterum Pharſalici,
Ac diſcerptus vtrinque ciuis.
Sed vicit denuo Symmachus,
Fuitque penè tertium Pontifex.
Pulchrè qui Romanum affectabat Solium, exilium inuenit;
Pro-

Proturbatus è Vaticano, quem turbabat.
Nactus feliciora Symmachus tempora,
Manichæos Roma expulit,
Exuſtis etiam eorum libris,
Vt aerem ea flamma expiaret,
Quem improba gens inceſtauerat, illum reciprocando.
Templis Vrbem adauxit, cultu templa.
Sacros animat muſiuo opere parietes,
Ac loqui pietatem, ac munificentiam ſuam eos cogit.
Chriſti opes æquè aris, ac pauperibus vectigales fecit:
Vt aurum aræ ſanctimonià conſecraret,
Inopum ſordibus expoliret:
Captiuos redimit,
Confractis manicis ferreis manu aurea.
Nulla denique non edidit documenta virtutum,
Nulli ſuperiorum Pontificum inferior.
Poſt quindecim annos quieſcit,
Petro quàm propè tam ſimilis.

AD HORMISDÆ PONTIFICIS

Tumulum

INSCRIPTIO LIII.

Hormiſda Sanctiſſimus Pontifex, Fruſinas — *Pont.*
Petri nauim rexit, — *LIII.*
Cum pelagus ſæuo exerceret turbine — *Ann.D.*
Theodoricus Rex. — 514.
Quàm violentus aquilo hic fuerit,

Nau-

Naufragi, ſuoque merſi in ſanguine,
Symmachus, Boetius docent.
Hoc ille optimorum hominum par
Româ primùm, mundo poſtea exulare iuſſit,
Atque homines ferro ſuſtulit verè aureos.
Scelus luit Rex igne Liparitano:
Quem ſibi rogum pridem excitauerat,
Congeſta affatim materia criminum.
Hormiſda hos inter æſtus, ac tempeſtates
Tranquillitati Eccleſiæ cauet.
Coacto Romæ Concilio,
Eutychianam iterum hydram
In ea capitum celebritate obtruncat.
Eadem correptum, & corruptum lue,
Ioannem Conſtantinopolitanum Antiſtitem,
Quòd acriter monuerit,
Anaſtaſij impij Cæſaris rabiem ſibi concitauit.
Is Pontificis Legatos vetuſtæ naui impoſitos,
Non tam Romam adnauigare, quàm mergi iuſſit:
Quando nil propius erat,
Quàm diſſutum, diffractumque nauigium,
Allatrante pelago, vorari.
Dedit mox impietatis pœnas Cæſar,
Percuſſus, non mortalium telo, ſed Cæli fulmine:
Nempè, vt ſuam eſſe mulctam, oſtenderet Cælum,
Ac neminem lateret ſupplicium,
Quod ſuo ſe proderet fulgure.
Poſt Eutychianos,
Exuſtis Manichæorum libris,
In hac pyra ardere voluit
Renaſcentem Romæ Manichæum.
Commodè expiatur igne peſtilens eruditio.
Euolutus ab incendio fumus,
Lugere ipſam hæreſim cogit
Tantam ſuorum voluminum cladem.

Por-

Porrò quam expurgat Religionem Pontifex,
Ornant Principes.
Aurum, gemmas Romanis templis mittunt,
Iuſtinus, Clodouæus, Theodoricus:
Ceu tum quidem coronam ſibi allaborarent,
Cum coronarum materiam Deo dicarent, ac Diuis.
Præiuerat donarijs Pontifex,
Lucebantque ab eius auro aræ,
Quas & ipſe meruit ſanctimoniæ fama;
Aſſertus Cælo,
Poſtquam nouem omninò annos regnauit terris.

AD IOANNIS PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO LIV.

Procumbe hic, Hoſpes, venerare & pignora magni *Pont. LIV.*
Pontificis, peperit quem clara Etruria Romæ. *Ann.D.*
Ioannes, vt gemma ardens. chlamydatus & auro, 523.
Sic pietate olim fulgens, & moribus aureis.
Dum videt Auſoniam Gothico ſub Rege cruentis
Cladibus oppreſſam, rigidoque adamante reuictam,
Fortunaſque pijs, votiuaque templa Tonanti
Erepta, & nuſquam pietatem hoc Principe tutam;
Trans mare velificat: Iuſtinum nomine tanto
Dignum, ter iuſtum, trabea, Sceptroque Latino
Inſignem, it miſera pro Religione rogatum.
Olli qui fidei candor, quæ feruida virtus.

Pe-

Pectore, magna docent mirè quæ patrat eundo.
Vir pius alipedem Peregrino commodat, vti
Quo ſolita eſt coniux, docilique inſcendere fræno.
Seſſore hoc gaudet ſonipes: mirabile dictu!
Qui patiens oneris, tumidiſque haud naribus efflat
Ignem, fræna ferox nec ſpumeus aurea mordet,
Fæmineo & nutu regitur; mutatus ab illo eſt
Alipede: & poſt quam Patri ſe ſubdidit Orbis,
Oblitus genij, ardeſcitque, furitque: ſuperbas
Iactant colla iubas, & calcibus aera pulſat,
Fæmineaſque truci fremitu indignatur habenas.
Nimirum generoſum animal ſe maius honore
Seſſoris tanti, nil non ignobile pondus
Æſtimat, & dorſo haud patitur ſediſſe profanos.
Idque etiam mirum: populis plaudentibus, Vrbem
Dum ſubit auguſtam, & Cæſar comitatur euntem,
Afflat lucem oculis, quos nox inuoluerat atra:
Tantum nec potuit munus latuiſſe, quòd ipſa
Orta dies vultu conceſsà luce retexit.
Hinc honor, hinc Aulæ ſtudium, hinc & prona voluntas
Iuſtini, facileſque manus in vota petentis.
Chriſtiadum bene re geſta, petit Itala regna
Ioannes, celſa & ſcandit Capitolia victor.
Tum ſacras cæcis cultoribus eripit aras,
Atque Arium templis expellit, & impia ſacra:
Thure nouo & cumulat Prætoria Numinis alti.
Hinc fremit Italiæ Rex indignatus, Erymni
Percitus inſana, ſecreta & mente volutat
Vincla, cruces, flammaſque acres, rigidaſque ſecures.
Contegit arte dolos: latet anguis pectore in imo,
Verbaque compoſito fallunt mendacia vultu.
Dum fidis, Pater, illecebris, te compede dura,
Carcere & immeritum Rex improbus excipit: hic te
Dira fames, ſqualor, ſpecies & mille malorum
Certatim vexant: vltrò complecteris vlnis

De-

Delicias animæ magnæ, cui ſumma voluptas
Ærumnæ; reputatque roſas rerum aſpera molles.
Hinc tandem dum membra malis ſpirantia cedunt,
Cladibus inuictus, petit aurea ſpiritus aſtra.
Iam, quæ Ioannis redeunt victricia Romam
Pignora, ſorte ſua felix, hæc vrna recondit.

AD FELICIS TERTII

Tumulum

INSCRIPTIO LV.

Hoc qui conditur, & latet ſepulcro,
Felix, inclytus Arbiter ſacrorum, *Pont.*
Non fecere chlamys, Tiara, ſceptrum *LV.*
Felicem; at pietas, & alma virtus. *Ann. D.*
Illum fluctiſonans Samos ter amplo *526.*
Orbi, & collibus edidit Latinis;
Vt Orbi ſimul, & præeſſet Vrbi.
Hic Belliſarium videt prementem
Stricto fulmine Vandalos, ſuperbum
Et Regem rigidis grauem catenis.
Hoc ſedente, Gothus Gothæ rebellat
Reginæ: Italicos & vnda campos
Fœdat ſanguineos, furente Marte.
Ardet Amalaſuntha, pulchra vultus,
Et ſupercilio ferox, & armis,
Suasque anteuolat truces phalanges.
Felix, turbine verberatus acri,

Non æſtus pelagi timet, minaſque
Rector pontigenæ ſuæ Carinæ:
Clauum peruigili gubernat arte,
Et nutu edomat africos, notosque:
Thracem fulmine Præſulem triſulco,
Senſus percutit impios vomentem.
Tum Conclauia Numinis perornat,
Et templa excitat, euehitque ad aſtra,
Mole, & regifico ſuperba cultu.
Annos ſceptra manu tenet quaternos,
Quos virtus facit aureos; coruſcum
Tum Cælum niueis ſubit quadrigis,
Luce & paſcitur, ebibitque nectar.

AD BONIFACII SECVNDI
Tumulum
INSCRIPTIO LVI.

Pont. LVI. Ann. D. 530.

Bonifacius præclari nominis Pontifex Secundus
Adauget hic ſuis Manibus
Conſepultos tot Summorum Pontificum Manes.
Romæ natus, reſpondit inclytæ Patriæ magna indole:
Nomini verò bonitate morum adamuſſim par.
Indignata humi, ac per ima ſerpere eius virtus,
Generoſioris inſtar alitis,
Supremam Vaticani partem volatu ſuo tenuit,
In tanto honore capeſſendo,
Infelicium euentuum nunquam ſterilis diſcordia,
Mon-

Monſtrum peperit.
Sciſſis nanque Comitijs, rixatum:
Viſusque tum quidem Vaticanus biceps:
Atque hic quidem Bonifacius, hic Dioſcorus ſedit.
Tenuere turbæ, quoad illas præcidit Atropos,
Vnà cum Dioſcori vita,
Detruncatum alterum illud caput,
Vt integra eſſet Eccleſia,
Quæ nunquam tam ſine Capite, quàm Capite geminato.
Euenere hæc ſub Iuſtiniano Cæſare,
Cui contigiſſe diuinitus nomen videri potuit;
Nempè vt eſſet tutela iuſtitiæ Inſtinianus.
Obruta videbatur legibus, quæ legibus conſtat, æquitas.
Bis mille voluminibus comprehenſa Romana iura,
Comprehendi vix poterant ſinu memoriæ:
Vt mole laborarent ſua tot Maiorum Conſulta,
Ac nullus eſſet à multitudine Ordinationibus ordo.
Contrahi, diſtingui, digeri ea congeries,
Ac lex aliqua dari legibus debuit.
Fecit hoc Iuſtinianus.
Cum nulla turbarent bella foris,
Domi ſuis ſub ſignis leges centuriauit.
Quæ inutilia, quæ ſuperflua abraſit:
Viſuſque leges condere, abrogando.
Decreuere hinc Decretorum libri:
Bibliotheca vnum euaſit in pluteum:
Adaucta poſtremò ſcientia, proſcriptis voluminibus.
Hæc Conſtantinopoli Iuſtinianus,
Cum Bonifacius ſuas etiam leges Romæ ſcribit,
Moribus regendis, corrigendis.
Nec poſt multò ſubeſse & ipſum mortis legibus oportuit.
Biennis Pontifex ſenex moritur,
Contentus exigua hac vrna.

Schiſ.6. interBoniſ. & Dioſcor.

AD IOANNIS SECVNDI
Tumulum
INSCRIPTIO LVII.

Pont. LVII. Ann.D. 531.

Ioannem ſceptro ter magnum, atque indole, clauſum
Sciueris hoc gelido in marmore, quiſquis ades.
Scilicet, huc recidit ſupremo è culmine rerum,
Orbem qui nutu rexit; & aſtra ſuo.
Qui ficti deſunt vultus, quæ ſculpta ſepulcro
Ora, notæ ſupplent hæ, calamusque breuis.
Roma ſinu fundit, virtus alit, innuba Pallas
Educat ingenuis artibus ingenium.
Chriſtiadum vix fræna capit, cum fulmine torto
Impetit hæreſeon monſtra, Arijque luem.
Idque cauet, viles animæ ne dentibus auſint
Intactam Domini dilacerare togam.
Agnoſcit Patrem, atque vicaria Numinis ora,
Mittit & Attalicas Iuſtinianus opes.
Arte laboratum largitur ſplendidus aurum,
Plurima quod pulchrè gemma Erythræa tegit.
Addit & artifici argento ſpirantia ſacræ
Inſtrumenta rei, Cæſare digna ſuo.
Pectoris at magni pietas pretioſior auro eſt,
Et ſuperat gemmam Cæſaris illa manus.
Ioannes dum iura Dei indetorta miniſtrat,
Et curat mundi commoda mente graui:
Fata ſubit, binos cum vix regnauerit annos,
Et tegit exuuias frigidus iſte lapis.

AD AGAPETI PONTIFICIS
Tumulum

INSCRIPTIO LVIII.

Agapeto Sanctiſſimo Pontifici, Romano
Hic contigit ſua quies: Pont. LVIII Ann. D 534.
Cum interim ſplendidius quieſcat Cælo in ſinu lucis.
Meritus Chriſtianæ rei faſtigium,
Id ſtuduit, vt ſublimior eſſet ſua virtus.
Renuntiatus Romæ Pontifex,
Ad alteram ſtatim Romam inſtituere iter oportuit,
Deodato Italiæ Rege efflagitante,
Cui Romanus Iuppiter ſimul, & fulmen,
Iuſtinianus Cæſar
Bellum interminatur.
Irarum cauſa, Amalaſuntha.
Nominaſſe Heroinam hanc, compendium laudis fuit.
Mendax olim illa Græcorum Pallas,
Gothorum vera.
Neſcias, doctior fuerit, an facundior?
Græcè, ac latinè ad miraculum ſciens.
Diceres, aut Athenis, docente Demoſthene, audiuiſſe Tullium,
Aut Romæ ſub Tullio audiuiſſe Demoſthenem.
Quæ à Barbarorum moribus abhorreret,
Barbaras etiam gentium linguas non ignorabat,
Quas expolire loquendo videbatur:
Vt in ore Amalaſunthæ ipſa placeret barbaries.
Tantam Deodatus Reginam patria, regno, vita exuit,
Dignatus ab ea thalamo, & regno:
Admiſitque hoc crimen non vno crimine.
Hinc armata Iuſtiniani Nemeſis,

Et

Et nuda Amalaſunthæ vmbra
In Deodatum coniurant.
Iam, claſſe adornata, Mars nauigat:
Iam fœderati militant venti.
At tantum armorum apparatum
Vna diſiecit Agapeti lingua.
Pacato Cæſare, bellum profligauit inermis Pontifex;
Qui, reſtincta hac Martis face,
Prouocari ad nouum ſe certamen videt:
Aliam ſubit aleam,
Quæ citra ludum animas perderet.
Eutycheti ſuo vt faueret nutu, rogat Cæſar:
Precibus acceſſere minæ,
Quibus ita nec flectitur Agapetus, nec frangitur;
Vt Concepto Zeli igne,
Ad ardorem Cæſaris mirè exarſerit.
Acceſſeram huc, inquit, vt Principē inuiſerē Chriſtianiſſimum
Sed in Iuſtiniano Diocletianum reperi,
Catholico nomini perindè infenſum, infeſtum.
Erubuit ad hæc Imperator: Salua res eſt.
Ad frugem nanque ita redijt,
Vt Anthemium Eutychianorum partium principem,
Conſtantinopolitanum Antiſtitem,
Exauctoratum Sede mouerit;
Scilicet, caput ne eſset, qui membrum non erat?
Agapetus, reuocato ad Orthodoxā fidē Cæſare, ſtatī moritur.
Debuit immortale hoc opus vltimum eſse,
Ne, cum nil grandius poſtea patraret,
Inferior eſset Agapeto Agapetus.
Remetitur pelagus: Romamque extinctus adnauigat.
Vitam Conſtantinopoli poſuit, exuuias Romæ.
Spiritus Cælum tenet.

AD SIL-

AD SILVERII PONTIFICIS Tumulum.

INSCRIPTIO LIX.

Hoc qui marmore delitefcit, olim *Pont.*
Fulſit tergemino decorus auro. *LIX.*
Campanus patria: dedere nomen *Ann. D.*
Siluæ; ſed folium dedere mores. *536.*
Pater Romulidum benignus, acer,
Alterno moderatur ore faſces.
Curat publica commoda, expolitque
Aras ſacrificas, Deique cultum.
Cum fræna arripuit regenda Romæ,
Regnat Iuſtinianus, auro, & oſtro
Spectandus Tyrio, & timendus armis.
Frangit hic Italos Gothos, feroci
Quos Belliſarius cruentat enſe,
Et cogit volucri fuga, relictis
Vrbis Romuleæ exulare muris,
Cæſo mox Duce, copijſque fuſis.
At Siluerius excubat Latinæ:
Dum rei, rabidam ſubit procellam,
Auguſtæ igniuomo ſinu furente.
Nimirum improba vota dum negantur,
Exarſit Theodora, ferbuitque.
Poni gemmiferam imperat Tiaram,
Faſceſque, & chlamydem, Infulaſque ſacras. *Schiſ. 7.*
Hinc alter rapuit manu ter amplum *Vigilij*
Sceptrum Chriſtiadum, auream que vittam. *contra*
Nec ſiſtit furor impius: ſuperbè *Silueriũ*
Summum nanque Patrem exulare iuſſit.

Saxa

Saxa ad aſpera, pendulaſque rupes
Magnus incola fertur Inſularum.
Non hic veris opes amœnioris:
Squalor vndique triſtis, & ſilentes
Vmbræ: ſunt comites feræ, colubri.
Ærumnis, ſenioque preſsus, exul
Hinc Siluerius aſtra, patriæque
Petit ſydereæ lares micantes;
Sacris huic tumulo oſſibus relictis.

AD VIGILII PONTIFICIS

Tumulum

INSCRIPTIO LX.

Æterno clauſit fatalia lumina ſomno,
Pont. Olim cui vigiles oculi, populiſque regendis
LX. Mens vigil, imperio ſacrorum, & nomine dignus.
Ann. D Edidit in lucem Roma inclyta, & inclyta Roma
537. Excepit Manes, Siculis licet occidit oris.
Helleſpontiaci Patres, hoc auſpice, partus
Virgineos decorant; ſtatuunt & Virginis aluum
Innexos mirè fudiſse hominemque, Deumque.
Impius hinc ſiluit Theodorus, & ore rotundo
Numinis alma Parens dicta eſt Ieſsæia Virgo.
Hic Belliſarium quaſsantem fulmen, & vrbes
Luſtrantem Italiæ vidit victricibus armis,
Et victos, fractoſque Gothos, Regemque ſuperbum
Captum Vitigem, & manibus poſt terga reuinctum.
Chri-

Chriſtiadum at Patrem, quæ gemma fulget, & auro,
Immiti ſed felle madet, Theodora laceſſit.
Auguſta immeritum, Romaque auulſit, ad Hebrum
Compulit & gelidum mutato appellere Tybri.
Hic Cæli faſces, hic ſceptra vicaria Petri,
Hic luſum Numen, clauſuſque hic carcere cæco
Clauiger ætereus, dura ſub vecte laborat.
Viſcera anhela fame torquentur: ductile flumen
Guttura vix paucis ſitientia temperat vndis.
Verberibus nec dextra minax, nec lingua veneno
Parcit, & innocuum æquè ictus, & dicta cruentant.
Ille velut Rhodopen, aut Acroceraunia ſaxa
Fœmineus labor impeteret; ſtat pectore firmo.
Intrepidum non ſceptra mouent: facta aſpera vicit
Relligio, & nulli pectus penetrabile ferro.
Hinc dat victa manus Theodora, & cedere mollis
Romulidum forti condiſcit fœmina Patri.
Victor Io, redijt, mundo plaudente, reuinctam
Ceu ferat ipſe ſuo Theodoram diuite curru.
Puppe triumphali Latiam dum tendit ab Vrbem,
Detinet in curſu medio mors triſtis euntem,
Atque Siracuſis ſublimia tendit ad aſtra,
Vltra duos poſtquam ter quinos ſederit annos.
Excipit exuuias victrices Dardana Roma,
Et largo ad tumulum fletu componit, & hymnis.

AD PELAGII PRIMI
Tumulum
INSCRIPTIO LXI.

Pont. LXI. Ann. D. 556.

Pelagius Pontifex Primus, Romanus
Satis ſuæ conſuluit memoriæ
Innocentiæ laude.
Hinc ornandæ, non æternandæ virtuti
Tumulum ponimus.
Luctari mitiſſimũ Pontificẽ cũ temporũ acerbitate oportuit.
Nomen omen fuit non ſanè fauſtum:
Neque longiùs abeſſe à tempeſtatibus, à ſcopulis potuit,
Cui à pelago nomenclatio.
Totila, flagellum Dei, in Italiam irrumpit.
Dirum illi nomen, diriora facta.
Eò rabies efferueſcebat,
Vt vbi mortales deeſsent, quos diuerberaret,
Sæuiret in ſaxa:
Euerſis à fundo vrbibus.
Actum de Italia videri potuit:
Quando lethale malum caput petijt,
Capta nimirum, direptaque Roma:
Immiſſo etiam in tecta igne,
Vt feralem ſcenam illuminaret ſua fax;
Atque enata è Troia Roma,
Ipſa etiam arderet.
Narſes tantum ſtragis abrupit Gothorum ſtrage:
Flagellum ipſum cecidit Totilam.
Perſolutæ barbaro Regi ſuorum cædibus Inferiæ,
Arſitque in eo Martis rogo, quem ipſe excitauerat.
Erectum Pelagium, cadente Totila,

Al-

Alteræ mox merſere lachrymæ,
Elato videlicet Iuſtiniano Cæſare.
Publico Orbis fletu peracta fuere Iuſtiniano iuſta;
Patentare Pelagius voluiſſet pelago lachrymarum.
In tanto rerum æſtu
Suæ nauis clauum non deſtituit Optimus Pontif.
Cauit maximè, ne afflatu, attactuque ſuo
Religionem, moreſque afficeret lues Gothica.
Barbarorum manu dum ruunt Romæ ædificia,
Templa excitat.
E ſeptem Vrbis collibus, veluti non vna è ſpecula
Perſtat ad Orbis excubias:
Quoad duodecimo Pontificatus anno
Æuo, ac fato victus,
Triumphauit Cælo.

AD IOANNIS TERTII

Tumulum

INSCRIPTIO LXII.

Ad hunc Ioannis Tertij tumulum *Pont.*
Habes, Hoſpes, quod laudes, *XLII.*
Habes, quod lugeas. *Ann.D*
Romanus is fuit, ad geminum Solem apricatus, *559.*
Generis, ſanctimoniæ:
Mutuo hæc ſe ſe iubare adauxere:
Vt nobilitati ſanctitas, ſanctitati nobilitas lucem faceret:
Addito Pontificiæ maieſtatis ſplendore,

Qui lucem vtramque cumulauit.
Id lugendum,
Incidiſſe in decumanos fluctus virtutem decumanam.
Iuſtinus Cæſar regnat,
Qui longè abit à ſuo nomine,
Longè à Iuſtiniano, cui proximè ſucceſſit.
E' Romana Aquila
Vngues ſibi delegit, qui raperent,
Roſtrum, quod Romana patrimonia diſcerperet,voraretque:
Auarus auri, famæ prodigus.
Imperij habenas ſuſcepit mox Iuſtina Auguſta,
Pro Coniuge nempè Coniux:
Quæ Iuſtini clades vt ſarciret, adauxit,
Dum Narſetem dictis, dicterijs prouocat.
Euocato ſiquidem ab Italia Eunucho,
Par, inquit, eſſe, vt exutus virili ſago Semiuir,
Cum fœminis colum, fuſum tractaret.
Mares Narſetis animos
Nimium, quantum exulcerauerit Fœmina.
Quid Viro forti cum lanificio?
Sciuerat is, loricata Atropos,
Præcidere ferro vitarum penſa.
Quòd ſi nendum mihi eſt puellarum more,
Equidem, inquit Narſes, fila, texam,
Nulli mortalium diſſoluenda.
Nec mora: accerſitis Longobardis, an Leopardis?
Viſa ab ijs pati Italia,
Quicquid edere ſtragis potuiſſent
Ferociſſimi belluarum Leones, pardi.
Quibus additis alijs paſſim Barbaris,
Dici iure potuit, ad florentiſſimam Europæ partem
Translatum Augiæ ſtabulum.
Dira hæc infortunia portenta præiuere.
Viſæ igneæ per aerem acies:
Veluti Orion, Mars ſuis cum phalangibus decertarent.
Ty-

Tybris verò latè exundauit,
Ceu reſtinguere arſura mox bellorum vellet incendia:
Ioannes in tanta temporum ærumna
Non ſe, non ſuos deſerit
Excitatis, inſtauratiſque templis.
Hiſce arcibus Romam munit.
Iratum in Romanos Narſetem,
Exarmauit ſua rabie.
Id Illi mitiorem reddidit malorum Iliadem,
Quòd tum quidem merſa baptiſmi vndis Armenia,
Suis emerſerit ab erroribus;
Exhilarauitque Pontificem
Enata inter tot Italiæ anguſtias,
Velut inter partus dolores noua Soboles,
Hiſce natalibus ſucceſſit Pontificis funus.
Annos ſedit omninò tredecim:
In ipſa Sede ita nunquam immotus,
Vt nuſquam Illi, niſi in tumulo quies fuerit.

AD BENEDICTI PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO LXIII.

Stat tenui hic cultu Benedictus, & inclyta facta
Facundum haud loquitur marmor: præferuida quamuis
Virtus thuricremis aris admouit, & aſtris:
Aſpera graſſantur dum regna per Itala bella,
Et Longobardus, gens effera, militat ardens,

Pont. LXIII Ann.D. 574.

Et

Et flamma populos vexat, ferroque Latinos;
Non Orbi dare iura ſuo, non plectere mores
Legibus, haud ſacris potuit decus addere templis.
Æratas acies inter, rabidaſque phalanges
Quid Pater imbellis? truculentum an pectore nudo
Vicerit is Martem, bellantum atque agmina mille?
Hoc ſtuduit, largo exarmare pericula fletu.
Illachrymat, Cælum prenſat, Numenque laceſſit,
Et Superos votis: tandem ſub mole fatiſcit.
Nec ferrum, at mæror perimit: paciſque potitur
Hoc cinis in tumulo, rutilis ſed ſpiritus aſtris.

AD PELAGII SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO LXIV.

Pont. LXIV. Ann. D. 579.

Pelagius Pontifex Secundus, Romanus,
E mari nomen mutuatus,
Hic vt cæteri mortalium fluctus confregit ſuos.
Tranquilliſſima illi ab indole mens,
Placidiſſimum à moribus pectus:
Non æſtus habuit, non Euripos, vnde efferueſceret.
Inauguratus conſultò ſummus Pontifex eſt,
Sed inconſultò Cæſare.
Hinc indignata eius Aula, & minax:
Ceu negata, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.
Allegatus eò Gregorius,
Vt fluctuante Romæ Pelagio,

Com-

Commoti pelagi procellam Conſtantinopoli difflaret,
Tranquillato ſcilicet Mauritio.
Loquente diſertiſſimè Legato, ſiluere fluctus;
Probauitque Auguſtus Cæſar Romana Comitia.
Gregorius per ea maris incommoda ingenio etiam velificat
Tempus, viam fallit commentando,
Lucubratis eundo Moralium Libris.
Vt non mirum, ſi tanti eruditi ſalis ſcriptioni inſit,
Quando in mari ſcripſerit.
Conſtantinopoli verò Eutychium Corporum anaſtaſim
Leuiſſimè negantem, grauiſſimè confutauit.
Vt ardens ira, Zeloque Cæſar,
In ignem librum coniecerit.
Dedit pœnas Opus, quas ſubire auctor debuit.
Abſumpſit meritò lucubrationem ignis,
Quæ rediuiuum fore mortalium Cinerem negabat.
At Pelagio à domito pelago,
Vt ab deuicta olim Africa Africano,
Appoſitè imponi nomen debuit:
Vt qui per æſtuoſi maris vndas
Petri nauim ſapientiſſimè adgubernauerit.
Denique poſt aſſerta Numini templa,
Templis cultum,
Subleuatamque munifica manu inopiam,
Quo tempore Europam omnem mergeret peſtilitas,
Pelagius naufragatur,
Decennis Pontifex:
Commeruitque thura fidelium Viri Sanctitas.

ADGRE-

AD GREGORII PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO LXV.

Pont. LXV. Ann.D. 590.

Exigua iacet hac vrna virtute ter amplus
Gregorius, paruo in marmore magnus adhuc.
Non illum attollunt ataui, non Infula Patris:
Lux eſt in grandi pectore clara magis.
Florem æui, viridemque inter dat ſacra iuuentam
Septa Deo, & trabeæ contegit vmbra iubar.
Et latet, & latuiſſe alios iuuat: inde dicatis
Cernitur hic illic plurima cella viris.
Ædes ad Scauri cliuum teſtantur auitæ:
Teſtantur Siculis tecta operoſa plagis.
Dum tacitis gaudet tenebris, micat inclytus Heros,
Lumine & inuitus proditur ipſe ſuo.
Itque humeris textus murex: tum ſceptra merenti
Romula dat facilis Curia, & vrna Patrum.
Orbis onus, tantumque decus fugit ille, nec auri
Fulgor, nec ſacro in vertice gemma placet.
Antra petit fruſtra; ſiquidem petit Infula & antra,
Et profugum vultu ſupplice prenſat honor.
Id mirum, rutilam tunc exarſiſſe columnam,
Illius vt latebras indicet igne ſuo,
Qui foret & mundi columen, fideique columna,
Ne latitet, flagrans iure columna micat.
Aſſertus Solio, cultu ſic fulget, vt intus
Acri flamma inopum flagret anhelus amor.
Hoc primum, vt Chriſti inſumat patrimonia pauper;
Vile aurum fluxu diuite nobilitat.
Nullus ab auguſtis excluditur exterus vlnis:

Nam

Nam pater, & mundi publicus hoſpes erat.
Aſſidet hinc menſis peregrinum atque aduena Numen:
Et frontem ſimulans, Aliger hoſpes adeſt.
Par fidei candor: ne quis temerauerit, acri
Mente, & peruigili relligione cauet,
Hinc monet, hinc ardet: terret te fulmine torto,
Mauriti, irati haud Cæſaris ora timet.
Donatumque Ariumque petit: Chriſtoque coegit
Subdere præfractos impia colla Gothos.
Auſpice & hoc, mores extrema Britannia mutat,
Subditur & Latio relligioſa Patri.
Quid quæſitus honor ſacris, cultuſque? quid auctæ
Thure aræ, & ritu ſplendida templa nouo?
Quid numeris exculta ſuis Ieſſeia plectra?
Flexanima & metris addita metra ſacris.
Nec ſtudijs parcit: vorat ipſa volumina pernox:
Hinc nunquam calamo non opulenta ſeges.
Ingenio volucris, mens fertilis, aurea fandi
Simplicitas; grauitant pondere verba ſuo.
Nam fluit ingenuus candor: nil pompa diſerta
Peccat: quæ proſint moribus, illa notat.
Sic decuit niueam, quæ viſa eſt aure, Columbam:
Pectore nil fuci pura columba gerit.
Hactenus hæc: æquat nam quis facta inclyta magni
Gregorij vena liberiore ſtylus?
Vberior calamo laus eſt: decreſcit ab ipſa
Laude, eſt & grandi grandior elogio.
Interea Manes venerare, & concipe vota:
Nanque preces facili percipit aure tuas.

AD SABINIANI PONTIFICIS Tumulum

INSCRIPTIO LXVI.

Pont. *LXVI.* *Ann.D.* 604.

A Sabiniano Pontifice
Nihil huiuſce tumuli tenebris acceſſit lucis.
Obſcura illi Cunabula,
Vt tantæ nocti abigendæ
Vix ſuffecerit magnæ Inſulæ Iubar.
Diſtinxit quidem canendis Dei laudibus horas,
Ceu Sol eſſet, horarum menſura, & arbiter.
Ad hæc, ardere continenter in templis lampades iuſſit,
Veluti perpetuum Veſtalium ignem.
Attamen maior vmbra fuit,
Quàm vt hiſce ſplendoribus inclareſceret.
Illud præſertim tenebras Viri famæ offudit,
Quòd Gregorium, magnum nomine, virtute maximum,
Hoc eſt, ſapientiæ lumen, ſanctimoniæ Pharon,
Infuſcare contenderit lingua:
Auſus Magnum parui facere,
Extincti Pontificis Antagoniſta,
Qui, viuus, extinctus mortales omnes plauſores habuit.
Oderat & ſcripta, qui Scriptorem oderat:
Vt penè in ſuis Commentarijs Gregorius conflagrauerit.
Fortè lucem Ille ab eo igne,
Veluti ab Epheſini templi flamma, affectabat.
At Sabiniani tempora prodigia funeſtarunt.
Comatum dirè ſydus oculos illexit, animos terruit.
Conſtantinopoli puer editus quaternis pedibus:
Sed illud poſtea Conſtantinopoli portentoſius,
Monſtra ibi conſtitiſſe Ottomana.

De-

Delos Inſula marinos piſces vidit hominibus perſimiles.
Fugere hi maris æſtus,
Ignorantes, eſſe terris procellas turbulentiores.
Hæc portenta timuit Sabinianus,
Latuitque hoc tumulo, biennio nondum emenſo.

AD BONIFACII TERTII

Tumulum

INSCRIPTIO LXVII.

Bonifacium Pontificem Tertium, *Pont.*
Qui ſitus hic eſt, *LXVII*
Virtus, pietas, *Ann.D.*
Euexere ad Petri Solium, & ſtatim ad ſydera. *606.*
Nouem is numerat creſcentes, decreſcentes
In ſuo Pontificatu Lunas:
Poſt has ſuæ vidit interlunium vitæ:
Reparauitque Cælo orbem meliore luce.
Natione Romanus,
Stat pro Romanæ Sedis Principatu.
Conſtantinopolitanus Præſul,
Alienæ dignitatis rapina magnus,
Eò tandem improborum aura Cæſarum intumuit,
Vt Romani Pontificis locum occupare,
Ac veluti aſtra conſcendere,
Thracius Lucifer affectaret.
Fretum ipſum Boſphoranum
Æſtuare in eius pectore,

Efferueſcente nimirum ſuperbia, videbatur.
In regnatrice, aiebat, ac Principe tum Vrbe
Haud par eſſe, Antiſtitem non eſſe omnium Principem:
Cæſarianis cum Aquilis euolaſſe Conſtantinopolim
Sacrorum Principatum.
Cur non vnà ſimul eſſent Caput Imperij,
Et caput Eccleſiarum?
Ardet hic Bonifacius:
Petri, Romæ, ſui cauſam peragit.
Chriſtum, æternum Pontificem,
Petro credidiſſe Cæli faſces;
Romanæ Sedi Petrum.
Hinc prima ea Cathedra,
Quam Petrus erexit, qui Romæ cecidit.
Mutos eos Cineres id loqui:
Hunc conſenſum Orbis, hunc concentum Patrum.
Colonia Romæ Conſtantinopolis
De loco cum Roma contendit?
Rei conſignandæ acceſſit Phocæ anulus:
Hoc aſſertore, perorata cauſa eſt.
Helleſpontus deceſſit Tybri.
Quæ ſancita ſanctiſſimè à Bonifacio fuere,
Abſtulit tempus, vt Illum mors.
Nulla magno Pontifici par vrna,
Quem Cælo beat ſua Sanctitas.

AD BO-

AD BONIFACII QVARTI
Tumulum
INSCRIPTIO LXVIII.

Manes tot inter inclytos iacet Cinis *Pöt.68.*
Bonifacij, vices Tonantis qui Dei, *Ann.D.*
Et ſceptra magnus tenuit in terris Parens. *606.*
Genuere Marſi, grande queis addit decus,
Dum fulget indole aurea, & flore integro
Vitæ innocentis, & Tiara principe.
Dum Phoca regnat, cerne, quid prece impetret.
Surgit ter amplum nobili è Romæ ſinu
Templum; rotundo ſchemate id Cælum refert:
Agrippa molem extruit: opus iuuat manus
Millena; feruet artifex, ſudant foci
Ephyræi, vt æra molliùs ſpirent: ſimul
Euiſceratur Tibur, & niuea Paros.
Vulgo Deorum operoſa templa hæc dedicat
Profanus error. Sua ſtat hic Sedes Ioui,
Sua & Patri Falcigero, Acidalia & hic Venus,
Hic Pallas, hic Iuno colitur, hic & Ceres.
Tam ſplendida eſſe tecta, tam fœdis Dijs,
Quid turpius? Phocam rogat Patrum Pater,
Vt fabuloſa ſinat repelli Numina
Auguſta ab Æde: viuo & aſſurgant Deo,
Diuiſque templa: colatur hic Dei Parens:
Meliùs flagrent Panchæa thura: Cælites
Æra expient, pius & ſacret cultus Paron.
Quàm bene vices mutantur. Abit en Pantheon,
Stabulum Deorum, in Numinis Sacrarium:
Diuoſque, Diuaſque excipit ſinus capax.

Hos

Hos hoſpites culta hæc decet magnos Domus.
Nunc templa grandi mole ſuperbiunt ſua :
Nunc aſtra feriunt culmine, & Cælum petunt,
Cum plauſtra ſacri pulueris, membra & fortium
Pretioſa Pugilum ſplendidam Ædem conſecrant.
Amplum & ſtruit, colant quod Aſcetæ pij,
Templum Bonifacius, opibus & amplis iuuat,
Et latifundijs, Dei vt cultus micet:
Aliaque digna Præſule Orbis, literis
Et digna gratis patrat: æuo tum ſuo
Functus, coruſcas Numinis petit domos.
Nunc Vaticanum honeſtat vrna hæc nobilis,
Virtus vt olim conſecrauit Infulam.

AD DEODATI PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO LXIX.

Pont. Deodati Pontificis Primi, Romani,
LXIX Vt hic iaceant pij Cineres,
Ann.D Communis neceſſitas fecit:
613. Vt eos hic, Hoſpes, venereris; facit morum ſanctitas.
Ea illi à vitæ innocentia promerita;
Vt Elephantiacum oſculo perſanauerit.
Amoris inſtrumenta, oſcula,
Commutauit in inſtrumenta ſalutis:
Fuitque Vir ſanctiſſimus
Medicus ſimul, & alexipharmacum,

Ægros

Ægros ſi curat, haud negligit integros,
Quos non tam ſui muneris poteſtate,
Quàm ſanctimoniæ fama regit.
Exemplis addit leges:
Vt æquè prodeſſet Lex eloquens in Principe,
Ac mutus Princeps in lege.
Gratulatus is eſt,
Fracto ab Heraclio Coſroa,
Redijſſe ad Caluariæ montem, veluti ad ſuum Capitolium.
Triumphale Chriſti Lignum.
Strauiſſe tot Perſarū myriadas,non tam Heraclio glorioſum,
Quàm vnam erexiſse Crucem.
Quæ olim expoliauit Inferos Crux,
Spolium nunc fuit Heraclij,
Perſide quauis gaza opulentius.
At paludatus, gemmatiſque Cæſar ſiſtere cogitur,
Dum illam fert ad Caluarium.
Hæret phaleratus equus:
Mordet frænum, qui vorare viam debuit.
Stimulos ille non audit: audit Zachariæ monita Heraclius.
Quid à trabea, à gemma, ab auro cultum emendicas?
Habes in vna Cruce,quicquid vſquam gemmarū, & auri eſt;
Triumphabis ipſe ſplendidè in Cruce;
Si nudis in humeris triumphauerit Crux.
Itaque exutus trabea Cæſar, expeditè Caluarium petit.
Honorat illum Crux, non onerat,
Chriſti portantem trophæa, & ſua.
Interea victus æuo Deodatus, exuuias hic poſuit.
Non imbui opobalſamo oſſa oportuit.
Satis illi, ſuperque Manibus inodorandis,
Sua virtus, ſua ſanctitas.

ADBO-

AD BONIFACII QVINTI
Tumulum
INSCRIPTIO LXX.

Pont. LXX. Ann. D. 617.

Bonifacius Pontifex Quintus, Campanus,
Suam hic moratur anaſtaſim,
Recepto interim Cælo ſpiritu.
Singulari illi humanitas inerat,
Quæ micuit magis, accedente diuinitate magnæ Infulæ.
Quæ maximè ornat Principes liberalitas,
Ornandis pauperibus impendit.
Immunem voluit, quiſquis ad Eccleſiam confugiſſet;
Nempe Nemeſis vſque ad aras.
Poſcere præterea templorum dignitatem;
Vt ſecurum à ſecuri crimen foret.
Haud par eſſe, vt eò inferat pedem lictor,
Vbi Numinis Sanctitas abſorbere videtur ſcelus, aut vorare.
Neque ſic fauere reo templa, ſed Deo,
Cuius benignitas eos etiam tuetur, quos damnat.
Hoc Pontifice,
Theodolinda Regina, elato Adoaldo coniuge,
Ad Longobardorum Regnum effertur.
Maris animi Heroina.
Neſcias, fuerit in fœmina viri virtus,
An in viro lenitas fœminæ?
Certabat in ea cum ſplendore pietas.
Templa ornabat ſplendidè, colebat piè,
Tributis ſacrorum Adminiſtris latifundijs,
Vnde, & illi alerentur,
Et ipſa ſibi demeteret ſegetem gloriæ,

Tan-

Tanti Pontificis tempora Mehemetes funeſtauit:
Fax illa Chriſtianæ religionis, morum lues,
Naturæ monſtrum, an crimen?
Patre Arabe, Iudæa matre,
Miſcuit cum impietate barbariem.
Armis peruaſit regna, ſuperſtitione pectora;
In orbem irrupiſſe, corrupiſſe illum fuit.
An Stygius eſſet Cerberus,
Fauces indicarunt tergeminæ,
Sorbentes Aſiam, vorantes Africam, Europæ inhiantes.
A Luna, quam infamauit, cum ſtemma ſuum fecit,
Diſcite monſtri ingluuiem:
Nam cum tot vorauerit terras, tot imperia gentium,
Orbem, ſinumque non dum impleuit.
Ceu pauca ſint tanto gutturi
Quæcumque infra Lunam ſunt.
Feralis hic Cometes ad Orientem viſus,
Occaſum magni Pontificis ad Occidentem prænuntiauit.
Quintum Pontificatus annum expleuit:
Clauſitque ipſe dies, ipſum tumulus.

AD HONORII PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO LXXI.

Pont. LXXI. Ann.D. 622.

Hoc tibi Phidiacum ſacramus marmor, Honori,
Et pleno violas calatho damus, atque Sabæo
Thure vaporamus Cineres, Maneſque ſepultos.

O Tu-

Tuque, hoſpes, libare notas ne ſperne ſequentes.
Editus hic Capuæ: mundi Caput inclyta Roma
Sed fecit; Solioque dedit regnare Latino.
Incidit excellens in triſtia tempora virtus,
Cum patrijs erupere Arabes de ſedibus, acri
Gens vultu, trux moribus, aſpera cultu:
Niliacos populatur agros, populatur & Afros,
Audet & auguſtas Aquilas, metuendaque ſacri
Vexilla Imperij, dominoſque laceſſere faſces.
Vinceris, Heracli, leges & fœdere turpi
Cogeris accipere, immanis quas obtulit hoſtis.
Sollicitus pauidum proſpectat Honorius Orbem:
Idque illi curæ, late ne flamma vagetur,
Obruat & campos tempeſtas dira Latinos.
Hocque metu functus, ſplendorem Numinis auget,
Ornandiſque vacat mortalibus indole pulchra,
Chriſtiadum & ſanctos populis inducere mores.
Templa dein curat. Nam Vaticana Corinthi
Ære tegit: tua, Pancrati, tua, nobilis Agnes,
Splendidus inſtaurat; Pario tua marmore, & auro.
Tecta, Seuerine, exornat; quæ Tibure ſurgunt.
Mox alias polit atque ædes emblemate multo.
Tanta Viri virtus bis ſenos ſplenduit annos,
Dardaniæ tenuit Romæ quibus aurea fræna.
Occubuit tandem: nec tot longæua ſenectus
Annos enumerat, magnum quot Secula nomen.

AD SEVERINI PONTIFICIS Tumulum

INSCRIPTIO LXXII.

Quiſquis es, exiguo hoc in marmore perlege pauca: *Pôt.72.*
Non expectanda à Principe plura breui. *Ann.D.*
Nempè Seuerini, qui vix dominatur in annum, *637.*
Frigidus exuuias contegit iſte lapis.
Gente fuit Græcus, meritis ad culmina vectus
Summa, ſuuſque fuit ſacra Tiara labor.
Annuit Iſacius prò Cæſare: ſcilicet olim
Debuit & nutu Cæſar adeſſe ſuo.
Exarcham hic agit Iſacius: nec fræna miniſtrat
Cum laude Auguſti Principis, atque vices.
Nanque Seuerini poſtquam noua ſceptra probauit;
Improbus ad ſacras guttura vertit opes,
Templa petit Laterana auidus: votiua rapaci
Munera nec timuit diripuiſſe manu.
Itque per omnigenam gazam: rapit aurea vela,
Lychnoſque, & Scythico qui micat igne calix.
Quiſquis luctatur, perterret fronte minaci,
Exilioque graui cogit abire procul.
Hæc ſiccis oculis; hæc & ſine vulnere triſti
Damna Seuerinus cernere qui potuit?
Adde Arabes Syriam populantes, adde ſuperba
Iniecta & Solymæ barbara fræna manu:
Hic dolor immerita transfixit cuſpide Patrem
Romulidum: extinctum hic mors properata premit.

AD IOANNIS QVARTI
Tumulum
INSCRIPTIO LXXIII.

Pôt.73.
Ann.D.
639.

Ioannes Pontifex Quartus
Pretium huic vrnæ facit modico cinere,
Et Inclyta morum fama.
Si quæris Patriam, Dalmata fuit:
Si Patrem, Venantius:.
Venatus ipſe in Vrbe quid grandius ſyluis,
Terrarum ſcilicet, ac Cæli Principatum.
Antiquior illi virtus, quæ maior.
Nempe charitas.
Captiuis liberandis animum ſtatim appulit,
Quos è Barbarorum ferro eripuit auro.
Lateranum theſaurum vorauerat Iſacius Exarcha,
Trabeatus nempè heluo.
Quicquid ſuperat,
Liberaliter libertati redimendæ impendit Ioannes.
Hoc illi peracerbum,
Arianis partibus fauiſſe Longobardorum Regē, Rhotharium.
Duos ſuis in Vrbibus permittit Epiſcopos;
Alterum Catholicum, Arianum alterum.
Miratur Orbis portentum biceps.
Fudit olim monſtra Hercules: fouet nunc Rhotarius.
Sciſsa iterum Chriſti chlamyde,
Quod olim Arius fecit.
Inexpiabile hoc Rhotarij crimen
Virtutem eius omnem corrupit, ac penè crimen fecit.
Nam cæterum pace, ac bello clarus,
Ciuiçam, bellicam bellè miſcuit laudem:

Arre-

Arreptâ præſertim fortunâ,
Quam eiuſdemmet comâ ſuis armis alligauit.
Porrò Ioannes cum maximè in Spartam incumberet ſuam,
Exuit intra biennium mortalitatem,
Quam hic reliquit
Vna cum immortali nomine.

AD THEODORI PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO LXXIV.

Attulit grande Latinæ Eccleſiæ decus *Pōt. 74*
Homo Græcus, *Ann. D.*
Nempè Theodorus Pontifex Primus. *640.*
Dei munus Grecè appellatus;
Scilicet,cū Spōsā ſuā præclaro augere munere Chriſtus vellet,
Non aliud elargiri magnificentius potuit,
Quàm Theodorum,
Cui ingens ab eximia virtute pretium;
Id illi primum, pauperes alere:
Adamabatque deinde, ceu ſuos.
Religio illi, tuendæ religioni par.
Cohoneſtatum Conſtantinopolitanis Inſulis Paulum,
Quod moribus dehoneſtaret, & fide,
His illum exuit.
Anguis nempè bilinguis fide,
Quod & vitijs etiam conſenuerat,
Ponere exuuias debuit.

Ca-

Caput Eccleſiæ, ornat Eccleſias.
Sanctitatem ijs auget Diuorum Lipſanis,
Magnificentiam ſtragulis, ac facto, fictoque auro.
Eo regnante,
Regnare, ac viuere deſijt Heraclius.
Succeſſit Conſtantius, veneno mox elatus
A nouerca, à fratre.
Quod polliceri ſibi à Nouerca poterat,
Expectare à fratre non debuit:
Vtrique nouercale odium fuit,
Certauitque cum Nouerca germanus frater.
At Theodoro annum intra ſeptimum,
Vt in priſcis olim ludis,
Conceſſa alteri lampade,
Vitæ extincta fax eſt.
Abdicatis faſcibus, regnare non deſijt,
Diuturniore potitus Regno.

AD MARTINI PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO LXXV.

Pont. LXXV Ann.D. 647.

Hic vbi Martino ſurgunt pia templa, quieſcunt
Pignora Martini meritò: par nanque videtur,
Alter vt alterius Martinus degat in Æde.
Vmbria dat cunas puero: numerumque Tudertum
Auget Pontificum, faſtoſque, atque agmina Diuum.
Aſſertus Petri ſolio, mora nulla, diſertos

Hel-

Helleſpontiacam Oratores legat ad Vrbem,
Qui chlamyde inſignem, praua ſed mente ſceleſtum,
Deuotumque Herebo Paulum de tramite cæco
Chriſtiadum ad frugem reuocent, & amabile lumen.
Felle ſed imbutus nigro, truculentior hydra
Lernæa Paulus, non impia pectora mutat:
Quin Latios rigida Legatos fronte relegat.
Martini hinc ardor, Nemeſiſque hinc iuſta Senatum
Cogit, & excuſſo in caput execrabile telo,
Exigit vltrices Patrum ſententia pœnas.
Sacrilego fauet Auguſtus, correptus eodem
Nempè malo, ſimilique madent cui corda veneno.
Pectore in immiti præceps efferbuit ira.
Spuma docet labris, queis fluctibus æſtuet intus.
Tum iubet, ad Latias citò currat Olympius oras
Impius, vt vinctum Martinum compede ad Vrbem
Threijciam rapiat, vel ferro vindice mulctet.
Irrita ſed rabies: ſacrum in caput incubat enſe
Dum lictor rutilo; en oculis nox incubat atra:
Quique Orbi tentat vittatum tollere Solem,
Luce ſua caruit, tenebris immerſus opacis.
Ipſe nec ærumnis immunis Cæſar; & ingens
Clade luit varia crimen; non mitior inde.
Nanque ſuis actus furijs, Romam altera monſtra,
Vt tantum perdant Alcidem mittit, & vrget.
Nulla mora: impauidum Myſtam capit arte Pelaſga
Calliopas: ferroque grauem perducit ad Aulam
Cæſaris: hinc & trans Pontum Cæli Arbiter exul
Mittitur, vt genio fera gens, & inhoſpita tellus
Romulidum haud vna diuexet clade Parentem.
Hic Cælum, hic Patriam Martinus repperit, æuo
Functus, & ærumnis; roſeum citraque cruorem
Martyr purpureus, Superis ſe ſe intulit aſtris,
Emenſus ſenos Romano in culmine Soles.

AD EV-

AD EVGENII PRIMI
Tumulum
INSCRIPTIO LXXVI.

Pôt. 76. Quidnam Phidiacus, loquens diſertè,
Ann.D. Huius te moneat lapis Sepulchri,
654. Paucis explicat aureus character.
Cui cunabula dat togata Roma,
Et ſummam chlamydem, viceſque Cæli,
Ille hac Eugenius quieſcit vrna.
Auitum cumulat iubar Tiaræ
Luce, & eximio nitore morum.
Nil ſupercilij aſperat ſerenam
Frontem, nil oculis minæque peccant:
Sed bellè facili renidet ore
Blandior grauitas, grauis venuſtas;
Aulam & pectoris occupat ſuperni
Cultus Numinis, ardor & ſacrorum.
Hic prior ſtatuit, dicatus aris,
Vt quiſquis foret, hoſtijſque puris,
Lecto vitam ageret procul marito,
Et ſemper niueo pudore caſtam.
Dum regnat, madidas cruore multò
Oras Italiæ rubere cernit.
Mouens nam Grimoaldus arma, latum
Regnum latiùs explicare curat.
Padum cædibus hinc, & hinc cruentat:
Hoſtiles acies premit, fugatque,
Ardens Vrbibus & potitur amplis.
Inter pocula, diuiteſque menſas
Gallis incubat ebrijs, ſimùlque

It

It Sanguis pateris, meruumque Chium.
Hinc ſummo lacrymæ, dolorque Patri,
Defletque Auſoniam, furente Marte,
Et ſuo exanimem, exteroque ferro.
At non Chriſtiadum diù Supremos
Faſces Eugenius miniſtrat: annus
Non it tertius, aureos ſeuera
Cum rupit Lacheſis dies; iacentque
Manes hoc tumulo, Ciniſque magnus.

AD VITALIANI PONTIFICIS

Tumulum

INSCRIPTIO LXXVII.

Vitaliano Pontifici Optimo Maximo *Pōt. 77.*
Nil profuit quæſiuiſſe à vita nomen. *Ann. D.*
Mortalitati obnoxium, *657.*
Fungi tandem vita oportuit.
Signij natum, quod eſt Volſcorum Oppidum,
Educauit Roma ad Orbis Imperium:
Quod faſcibus rexit, & fama virtutum.
Nitori ſtuduit diuini cultus:
Nitor ipſe Pontificiæ dignitatis.
Cantum in templis reſtituit,
Vt Cæli concentum aptiùs repræſentaret terrarũ concentus.
Addidiſſe ferunt organa:
Vt vocem animaret ductilis per canoras fiſtulas ſpiritus.
In Angliam Legatos mittit ſapientiſſimos,

Vt toto diuiſi ab Orbe Britanni,
Romanæ arctius necterentur Eccleſiæ.
Hoc Pontifice,
Nobilis contigit Orthodoxæ religionis appendix,
Cæſarea Perſarum Regina,
Vt militaret Chriſto,
Transfugium è Perſide Conſtantinopolim adornat.
Abluta Chriſtiano ritu,
Auitam eodem in fonte ſuperſtitionem merſit;
Et mox cum viro Rege ita agit,
Vt Coniux Coniugem Deo pareret.
Nihil hoc puerperio ſplendidius,
Edito in fidei lucem Rege.
Neque ſterile dici vnquam potuit coniugium,
In quo Coniux ipſe ſoboles fuit.
Iucundiſſimum hunc Vitaliano euentum.
Aſperat Conſtantius Cæſar.
Exceptus is Romæ per quàm magnificè,
Romanorum beneuolentiam rapinis rependit.
Græcus Imperator.
Hoſtis nanque, non hoſpes,
Quicquid eſſet pulcherrimæ in templis ſuppellectilis,
Quicquid in theatris, in foris,
Ab arguta manu ficti æris, ac marmoris,
Impoſitum nauibus ſecum aſportauit,
Commurmurantibus ad facinus ventis, ac pelago.
Muta etiam Simulacra, quæ rapuit,
Muſſare, loqui, increpare videbantur.
Auaritiæ pœnas Siracuſis dedit:
Tyrannus in Tyrannorum Sede
Contrucidatus ad balneas,
Habuit alteras cruoris ſui thermas.
Conſtantio Mezentius ſucceſſit,
Qui Vitaliano Euangelij codicem
Conſcriptum auro, ornatum gemmis miſit.

Nihil

Nibil eo auro, iis gemmis pretioſius,
Quibus pretium adderent Dei verba.
Iam annos quatuor ſupra decem
Petri nauim cum rexiſſet Vitalianus,
Integra naue naufragus,
Portum tenuit ſecundiſſimè:
Nec timet amplius pelagi minas,
Alligato ad hoc marmor nauigio.

AD DEODATI SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO LXXVIII.

Deodatus Secundus, Romanus, *Pōt.* 78.
E cucullato Pontifex, *Ann.D.*
Egregiè priuatam cum publica virtute miſcuit: 672.
Pientiſſimus monachus, Sapientiſſimus Pontifex;
Vt nihil deeſſet Pontificiæ dignitatis in monacho,
Nihil monaſtici cultus in Pontifice.
Pauperibus diues, ſibi pauper.
Hoſpitibus ædes patebant, pectus omnibus:
Tunc ſe felicem putans, cum aliorum depelleret infelicitatē.
Dum plectit crimina, reos complectitur:
Oſculari nempè videbantur inuicem iuſtitia, & pax.
In pacatiſſimo Deodati Regno
Viſum tumultuari Cælum.
Horriſona vbique tonitrua bellorum fuere claſſica.
Iiſdem fragoribus, & obſurdeſcere aures,

Et excitari ad horrorem dixiſſes,
Sciſſæ nubes flumina euomuere, non imbres;
Vt terrarum ſordes elueret repetita alluuio.
Ad coroqidem arſit diù cometes.
Quid portenderet ſolutus ille ad luctum crinis,
Niſi populorum ærumnas, ac lachrymas?
Fortunæ comam viſum induiſſe ominoſum ſydus,
Vt moneret ſequutura mox infortunia.
Calamitatum theatrum Italia.
Carnorum Princeps, Lupus,
Ne ſuo diſcreparet à nomine,
Vorare inexpletis illam faucibus aggreſſus eſt,
Hunc Lupum diſcerpſit Bauarus,
Deuaſtatis etiam igne, ac ferro Carnis.
Hinc bella ex bellis.
Longobardi, Dalmatæ per latus ſe ſe Italiæ confodiunt.
Conſtantius Cæſar armis ſitientiſſimis Beneuento imminet,
Euentu haud bono.
Aſſueta campis demetendis Sicilia,
Exterum vidit enſem
Mortalium vitas meſſuiſſe, non ſegetes.
Direptæ, expilatæ à Barbaris Siracuſæ,
Tot Dionyſios habuere, quot Arabes.
Vt miteſcerent peracerba ea tempora,
Supplicationibus occurrit Deodatus.
At nullum luculentius Italiæ vulnus,
Quàm ipſa Optimi Pontificis mors.
Parentatum publico fletu,
Quo nulla magnificentior Pyra.

AD DONI PRIMI Tumulum INSCRIPTIO LXXIX.

Pallida in exiguam mors Donum hanc compulit vrnam: *Pōt. 79.*
At vetat extinctum viuida fama mori. *Ann. D.*
Martia dat cunas naſcenti Roma: Sacrorum *676.*
Roma eadem faſces, ampláque ſceptra dedit.
Artibus excultus, mores mirè excolit: Orbis
Hinc par eſt chlamydi, par Solióque ſuo.
Relligio eſt curæ: hæreſeon feralia terret
Monſtra ſupercilio, teláque dextra vibrat.
Romano à capite abſciſſus, mordenſque Rauennas
Fræna diu Myſtes, ad ſua fræna redit.
Nam valuit Donus lingua: agnouitque ſupremi
Gens luſa, admiſſo lumine, iura Patris.
Auſpice & hoc, ſacræ ſplendeſcunt Numinis aræ:
Templorum & ſenio priſca iuuenta redit.
Scilicet, hæc auro laqueata, hæc ære Corinthi,
Hæc & Mygdonio marmore tecta nitent.
Dum ſedet is Romæ, Grimoaldo flebile funus
Contigit, & triſti claudere luce diem.
Nimirum excuſſo tentat dum figere telo,
Aere verſicolor quæ volitabat auis;
Vi nimia vena abſciſſa eſt inopina lacertis,
Et nimius perimit, qui fluit inde, cruor.
Rex Italus, bellique ſciens, & pacis, vtrique
Par, meruit fato nobiliore mori.
At Donus rapidi poſt quinque volumina Solis,
Et ſenio, Imperii & mole grauatus, obit.
Et qui iura dedit terris, qui rexit & aſtra,
Nil ſolidum terris, nil docet eſſe diu.

AD AGA-

AD AGATHONIS PONTIFICIS Tumulum

INSCRIPTIO LXXX.

Pŏt. 80. *Ann.D.* 679.

Quod latet hoc tumulo, eſt Lydo pretioſius auro,
Quod non Gangis opes æquant, non littus Erythræ.
Oſſa hic nempe iacent Agathonis; vidit ab oris
Inclyta quem Siculis venientem Roma, Quirini
Tergemina & meritæ aptauit diademata fronti,
Nomine vir dignus: bonus indole, moribus æquè,
Ingenioque bonus, laude & ſpectatus ab omni.
It per tecta inopum, fuſoque hic Iuppiter auro,
Nudam pauperiem fuluo fouet imbre, famemque,
Pectoris in miſeros en argumenta flagrantis.
Fœda elephantiaci maculauerat horrida peſtis
Corpora, & infectos ſquammis vitiauerat artus;
Oſcula Pœonio cum libat, & imprimit ore;
Morbiferas Agatho iuſſitque faceſſere cruſtas.
At Conſulta Patrum, fidei illibataque curat
Scita; nec ingenio parcit, linguæue diſertæ.
Hinc iubet: hinc miſcetque preces, & Cæſaris aulam
Appellans, magnum te, Conſtantine, laceſſit
Ad facinus; voluitque tua conſiſtere in Vrbe
Concilium, vt certa hinc manent oracula mundo.
Aduenit occiduus, ſimul aduenit Orbis eous,
Infula & in magno fulget centena theatro.
Rerum quiſque ſciens, cuique eſt facundia diues:
Omnibus vna fides, mens ſanctior omnibus vna.
Hic dextras nectunt, animoſque, & fœdere pulchro
Graiugenæ, & Latij iurant in verba Magiſtri.
Hic hominique Deo aſſeritur non vna voluntas.

Et

Et cenſura grauis Capitones plectit, & vrget,
Improba queis lingua; & mens improba: ſcilicet auſis
Chriſtiadum populis velle vnum obtrudere Chriſti:
Helleſpontiaci hæc Patres; nempè, auſpice Patre
Romulidum: citò quem mors abſtulit inuida terris.
Ingemuit Cælum: nam luna expalluit ore,
Et ſol atratus mœrorem in funere tanto
Concipit ingentem, & ſua per deliquia vulgat.
Aſt Agatho tumulo maior, ſublimior aſtris,
Cælo ardet, totoque haurit iam pectore Numen.

AD LEONIS SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO LXXXI.

Iacet hic Leo: Leonis an nomen times? *Pōt.* 81.
Non horridas quaſſat iubas; fronte haud minæ *Ann. D.*
Terrent; nec ora detonant rictu graui. 682.
Habet Leonis nil niſi oris Regium
Decus, & ter amplam pectoris magni indolem:
Nam vultus illi comis, aurei ſinus
Mores, fides par niuea, recti, & pulchri amor.
Gente Siculus, Pelaſgus ore; ſed diù
Romæ Incola Sacræ, eſt patriæ aſſertus nouæ.
Sciens canendi, muſicos ornat modos,
Himnoſque rithmo nobili polit ſacros.
Concentum at hunc, meloſque in humanos ſtudet
Transferre mores; conſtet vt rectum, & bonum.

Hinc

Hinc ardet, improbos monet, punit; Patrum
Decreta, leges, iura, nutus Præſulum
Qui ſpreuerit, illos peracri fulmine
Petri ferit, templis & arcet Numinis.
Hic & Rauennatum domat Myſtas, fauens
Exarcha quos ſuperbos, & reos facit,
Cogitque venerari ter amplum Orbis Patrem.
At magna dum concipit, & euoluit ſinu,
Terris abijt, haud amplius Lunis decem
Rerum potitus, Syderum, & mundi Arbiter:
Fragratque magno in puluere Viri ſanctitas.

AD BENEDICTI SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO LXXXII.

Pōt. 82. Ann. D. 684.

In Vaticano hoc Romanorum Pontificum Pantheo
Suus eſt locus
Benedicto Secundo Pontifici Optimo Maximo.
Iacetque in hac Panegyri pius cinis.
In herba, ac flore videri maturus æuo is potuit.
Nullus deinde in iuuenta ardor, niſi ingenij:
Et quæ flagrantiſſima eſt ea ætas,
Inflammari viſa eſt vehementiùs à virtutum ſtudio.
Hinc pietate perinde, ac literis clarus,
Sua ſe luce oſtendit Orbi,
Lectuſque eſt Romanus Pontifex.
Inſigni Viri ſanctimoniæ id datum à Conſtantino Auguſto:
Non

Non expectandum videlicet poſthac nutum Cæſaris ,
Vt rata eſſent Pontificum Comitia .
Bonum factum .
Cælo agitatur ea vrna :
Procul abſint profana ſuffragia .
Nihil Romanis Aquilis cum diuini Spiritus Columba.
Quicquid eſt Cæſaris ,
Infra Vicariam Numinis Infulam eſt .
Denique ſatis gemmarum habet Tiara Pontificum
Sine Imperatorum anulo .
Porrò Benedictus ornare non tam Romana templa ,
Quàm religionem ſuam cœpit .
Viſæ pleræque Baſilicæ ſuo è puluere rediuiuæ.
Quos , diſciſſa ceu tunica ,
Æuum dilacerauerat parietes ,
Conueſtiti vario marmore , ceu barbarica chlamyde fuere.
Lucem,luxum adauxere Ophites , porphyrites ,
Ac tum muſiuum vbique opus,tum opes Attalicæ.
At breuem Principatum fore,
Cometes, hoc eſt , feralis illa Cæli lingua præmonuit .
Prope Vergilias prolixiore viſus coma:
Scilicet,vndis à pluuiis ſyderibus mutuatus ,
Optimum Pontificem letho merſit .
Tumulus illi in Vaticano :
Nec thus defuit à fama ſanctitatis.

AD IOANNIS QVINTI
Tumulum
INSCRIPTIO LXXXIII.

Pōt.83. Ioannes Pontifex Quintus.
Ann.D. Communi gratulatione conſalutatus Pontifex,
685. Communi luctu ſtatim occidit,
E vertice Vaticani euolutus in ſepulcrale hoc marmor.
Antiochenus aduena
Viſus Romæ non modò Ciuis, ſed Dominus.
Neque præceps illum vulgi fauor,
Sed grauiſſimum virtutis ſuffragium euexit ad rerum culmen.
Acceſſere & populorum ſtudia,
Contulitque Conſtantinianæ Saluatoris Baſilicæ
Nonnihil ſplendoris hic ardor.
Epiſcoporum ternio tergemina inaugurarunt Corona:
Coronam ipſemet ſibi virtutum gemmis illuminauit.
Eo in vetereRoma exoriēte,occidit in noua Roma Cōſtātinus,
Succeſſitque Optimo Parenti Iuſtinianus:
Funeſtatis nempè bifariam Pontificatus initijs:
Quod obierit Pater, quòd ſucceſserit ſoboles,
Cui ſpecioſum nomen, non facta.
Vir fuit Ioannes moribus integer,
Valetudine vſus non integra.
Erecto ſemper ſpiritu, nunquam non caſui obnoxius.
Quicquid deerat incolumitatis corpori,
Acceſſerat animo.
Principatus pondus, quod fractæ vires non ferrent,
Ferebat mens robuſtior.
Viſus & libris impalleſcere, ſcripſitque de Pallio.
Tan-

Tandem lictores mortis, morbi,
Expleto nondum anno, comprehenſum,
In hunc tumuli carcerem compegere.

AD CONONIS PONTIFICIS

Tumulum

INSCRIPTIO LXXXIV.

Thracia dat tellus, tellus aluitque Cononem *Pōt.84.*
Sicelis, at faſces Dardana Roma dedit. *Ann.D.*
De prima certant armis, ſtudijsque Tiara: *686.*
Huic populus, fauet huic miles: vterque furit.
Ac tandem Princeps geminus ne ſcinderet Orbem;
Id pactum, vt neutri ſceptra ter ampla darent:
Tertius at meritum Solium conſcenderet, alta *Schiſ.8.*
Indole qui moli par, humerisque foret. *Petro*
Vnum igitur poſcunt communia vota Cononem, *Rom.&*
Vnus & vnanimi lectus ab ore Conon. *Theod.*
Summi, imi plaudunt certatim, & nomen adorant: *abdicāt.*
It virtus ſumma ad culmina, digna loco. *qui fue-*
Nanque illibatus flos morum contigit illi, *rant cre-*
Ardua mens, linguæ gratia, frontis honor. *ati.*
Prona manus miſeris, & prodiga diuitis auri,
Ardebatque pius relligione ſinus.
Vultus adde graues, niueamque in vertice ſacro
Caniciem; dices: quam bene Præſul erat!
Priſcum aurum terris redijſſet Principe tanto,
Et pudor, & virtus candidaq;, & alma fides.

At ſenuere anni citiùs, voluitque ſeuera
  Atropos extremos diſſecuiſſe dies.
Intra annum cecidit: Vaticanoque ſepulcro
  Clauditur: at nomen marmora nulla tegunt

AD SERGII PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO LXXXV.

Pöt.85. Inclyta ne lateat virtus, nomenque: ſepultus
Ann.L. Vt cinis hoc tumulo, frigida & oſſa latent.
687. Conditur hic Princeps ſacrorum Sergius: ortus
  Aſsyria, ac ſummum Roma dat Imperium.
Facundus lingua, prædocta eſt Pallade cultus:
  Sacrauit pectus relligionis amor.
Chriſtiadum dum ſceptra vacant; calet æmulus ardor,
Schiſ.9. Exercetque duos ambitioſa chlamys.
creatis Sanctior haud huic, haud illi fauet vrna: cupido
Theod. Plectitur, & ſceptrum nobile vtrique negat.
& Paſ- Numinis hinc nutu legitur, plaudente Senatu,
chali in Sergius, & redimit Vitta inopina caput.
ſchiſm. Romæ humeris cupidæ Lateranam inuectus in Ædem,
  Excipit ad ſacros oſcula prima pedes.
Pontificem ſed cura premit, dum Cæſar auitam
  Impetit externa relligione fidem:
Et cogit cœtus, quos Sergius abrogat ardens,
  Vindicat & tantum iuſtior ira nefas.
Nec timet intrepidus truculenti ſceptra Tyranni

Eſſe-

Efſera, nec vultu quæ caluere minæ.
Quin Cælo Numen trifido tonat igne ſuperbum
In caput, & capitis ponere ſerta iubet.
Illum nanque ſua pellis de ſede, Leonti,
Et cogis mutilis naribus ire procul.
Magnum eſt Imperio, patriaque carere: reſectas
Turpiter at nares plus cecidiſse fuit.
Trans Pontum hinc acto crudeli Cæſare, viſus
Sergius ad curas mox rediiſse ſuas.
Pignora ſplendidius tumulantur ſacra Leonis;
Et tegit auguſtam gemma Erythræa Crucem.
Auſpice & hoc, Saxon fidei mirabile lumen
Aſpicit, & priſcam perluit vnda luem.
Quatuor at poſtquam vltra denos præfuit annos,
Occidit, & natu grandior, & meritis.
Ad Petri iacuiſse iuuat pia Buſta: nec illi
Eſse loco poterat ſplendidiore quies.

AD IOANNIS SEXTI

Tumulum

INSCRIPTIO LXXXVI.

Inter conſepultas ad viam Appiam Martyrum acies, *Pōt. 86.*
Immixtus victricibus eorum palmis, *Ann.D.*
Iacet Ioannes Pontifex Sextus, & ipſe Martyr. *701.*
Neque abeſse longiùs à diſcerptis glorioſè exuuijs debuit
Laureatas magni Pontificis cinis.
Græcia hunc Romæ dedit,

Vt

Vt haberent Latini Patres, quem Orbi imponerent.
In turbida incidit tempora, vt ſerenaret.
Rixante ſiquidem cum militibus Exarcha,
Nempè cum Cæſarianis Cæſariano,
Flantem dirè turbinem vi facundiæ diſſlauit.
Poſt hæc Giſulfum Beneuenti Ducem,
Campaniæ felicitati ferro, & igne inuidentem,
Minis ita flexit, vt fregerit.
Rediјtque ſua Campanis amœnitas,
Quibus pro meſse aurea
Ferrea modò erat in campis ſeges,
Ab haſtato videlicet milite.
Hac etiam tempeſtate fortunæ ludus Iuſtinianus Cæſar fuit.
In Pontum relegatus, Ponto ſe mergi non ſinit.
Ab exilio fuga exilit,
Exceptus, deceptuſque à Bauaro.
Hinc iterum fuga ad Bulgaros,
Quorum ope iterum Cæſar.
Scilicet, tantum terrarum emenſus fuga eſt;
Vt amiſsum tandem Imperium repererit.
Deflenda Ioanni item fuit Arabum in Africam irruptio,
Atque hinc in Hiſpaniam.
Parum fuiſset, Barbaros occupaſse terras,
Niſi Barbarorum mores terras fœdauiſsent.
Noua irrupere in Africam monſtra,
Quæ nouam mox condidere in Hiſpania Africam.
Beda venerabilis fruſtra ſtylum ſtrinxit,
Vt Principum primùm animis commiſeratione exulceratis,
Hi poſtea, ſtrictis enſibus, fugarent Arabes.
At Io: decumanis hiſce cladibus mœrore primùm confoſſus,
Gladio deinde teſtandæ fidei tranſuerberatus,
Pulchra per vulnera non lacteam,
Sed purpuream ſibi viam ad Cælum ſtrauit.

AD IOAN-

AD IOANNIS SEPTIMI
Tumulum
INSCRIPTIO LXXXVII.

Ioanni Pontifici Septimo *Pōt.87*
Excitamus ſtylo tumulum, *Ann.D.*
Quem ornat ipſamet conſepulti virtus: 705.
Natione Græcus fuit,
Circumferebatque Athenas eruditione, & linguæ copia.
Cum cætera indole inerat præſertim veri fides:
Vt nihil in eo peccaret mendax Græcia.
Vis etiam pectoris illi generoſior.
Iuſtinianum Romani Rectorem Orbis,
A iuſtitia exorbitantem,
Eccleſiaſtico ferire fulmine non dubitauit.
Scilicet, Leontio, ac Tiberio Auguſtis contrucidatis,
Recuperauit is Imperium, vt fidem perderet orthodoxam.
Sed occurit Ioannes ſtrenuè,
Frænumque iniecit Cæſari,
Qui habenas Orbis adminiſtrabat.
Religionem etiam ornat Diuorum cultu.
Templa quà conſtruit, quà inſtruit.
Vt eſſent, qui templis excubarent,
Adſtare Cælites ipſos iuſſit,
Muſiuo opere rediuiuos,
Atque in marmore, in ære vigiles.
Vltra biennium, citra triennium regnauit.
Nunqnam non maturam mortis falci vitam,
Præmaturè meſſuit Atropos.
Conſepeliri hac in ara voluit,

Quam

Quam ipſemet Deiparæ exædificauerat;
Nempè, vt & ſemper Virgineos oſcularetur pedes;
Et ſemper Marianis quieſceret in vlnis.

AD SISINII PONTIFICIS

Tumulum

INSCRIPTIO LXXXVIII.

*Pōt.*88. Indole Siſinius ter dignus principe Vitta,
An. D. Gente Syrus, gelida hac tumulatur frigidus vrna.
707. Illi vita breuis; bis denos viſus in Aula
Effulſiſse dies, Petrique in Sede curuli.
Æui parca nimis fuit inuida Parca Latino
Romulidum Patri: & quamuis nodoſa podagra
Plus nimio immeritum vexaret: tangere metas
Attamen extremas potuit velocior Euris.
Gratari haud licuit Romæ: nanque occupat ipſa
Lachryma lætitiam,& reſtinxit gaudia luctus.
Publica quid virtus foret, edocuere diſertè
Priuati mores, qui proluſere Tiaræ.
Hæc tumulo inſcripſiſse ſatis; ne longius ipsà
Sit vità elogium: tacita atque hic oſsa quieſcunt.

AD CON-

AD CONSTANTINI PONT. Tumulum

INSCRIPTIO LXXXIX.

Quem cernis tumulum, Hoſpes, excitauit *Pōt.89.*
Parens inclytus Orbis, vt quieſcant *Ann.D.*
Magnæ hic exuuiæ, & cinis verendus. *707.*
Conſtantinus hic eſt; pius, probuſque,
Tellus quem Syra collibus Latinis,
Mundi & faſcibus edidit ſupremis.
Manu Romula ſceptra cùm capeſſit,
Negata ſegete, anxios colonos
Annus decipit; exulatque diues
Terris copia; gentiumque vultu
Squalet pallidulo fames anhela.
Occurrit Pater almus, & negatam
A campis Cererem, haud auarus auro
Largo corrogat; aggeratque lautam
Romanis ſegetem horreis, & aucta
Mirè eſt deficiente fruge, fruges.
Ardet relligio, ſinuque Zelus:
Tonat, fulminat; impios ſeuera
Caſtigat Nemeſi; tuetur atque
Leges, iura, fidem, & auita ſacra.
Te, Philippice, terret, & peracri
Te te fulmine, Cæſar, improborum
Apex, vindicat; inſeriique Faſtis
Nomen ritè vetat: nec ære fingi,
Nec tela effigiem iubet pudendam.
Te & ſupercilio monet, Rauennas
Præſul, quòd malè feriatus audes

R Pa-

Patris temnere fræna præpotentis,
Nec ſummam timuit minor tiara.
Hinc trans æquora Præſul exul iuit.
Cæſar ſed vocat, & ſecunda Roma:
Itque ad Threijciam Latinus aulam
Myſtes: plauditur Hoſpiti, & verendas
Libat Iuſtinianus ore plantas.
Non pauca hic agitat negotioſus:
Sed mox Romuleam reuiſit Aulam.
Et dum mente vacat, manuque curis
Sacrorum, egregiè regitque munus;
Septem poſt hyemes, iubente Parca,
Et vitam, & chlamydem auream relinquit:
Atque hac exigua quieſcit vrna
Magni Pontificis cinis ſuperſtes.

AD GREGORII SECVNDI

Tumulum.

INSCRIPTIO XC.

Pōt.90 Vt reſponderet nomini,
Ann.D Romanæ olim rei aduigilauit
716. Gregorius Pontifex Secundus, Romanus.
At, quod ſua ſemper ſuccedit vigilijs quies,
Hoc nunc in tumulo dormit.
Certare in eo ingenium, & eloquentia videbantur,
Vt excogitaret facundè exprimenda,
Et exprimeret peracutè excogitata.

Miſſo

Miſſo in Germaniam Bonifacio,
Viſa Borealis Vrſa ſub iugo fidei manſueſcere.
Et quæ mari haud mergitur Arctos inoccidua,
Auſpice Gregorio,
Mergi baptiſmi lauacro voluit.
Pleroſque ex ea gente
Sua ipſe manu ritè abluit Romæ Pontifex,
Et natione Germanos Chriſtianorum germanos fecit.
Aurea Pontificatus tempora funeſtauere prodigia.
Tybris ita exundauit,
Vt inambulari cymbis Romam oportuerit:
Mutatæque in Euripos, in Nilos viæ,
Allui non vno Tybri videbantur.
Qui allambere ſacram Vrbem ſolitus erat,
Sorbere nunc velle indicabat:
Quique ciuis, aut incola videri poterat,
Hoſtis tunc fuit.
Non ferro, non igne; vndis graſſatus dirè eſt,
Euerſis tectis,
Corruptaque in hortis amœnitate, in campis ſegete.
Cometes item horridè crinitus exarſit,
Qui Leonis non tam iubas imitari,
Quàm minitari feritatem videbatur.
Ad hæc defectus Lunæ contigit,
Cruentato etiam vultu,
Ceu ſtrages mortalium, quas prænunciabat,
In ore, veluti ad pompam, ferret.
Vt expiaret iſthæc portenta Pontifex,
In Cælum armauit Cælum,
Supplicatumque ad omnes aras.
Cum Longobardis res illi fuit:
Sed aſſueto certare cum prodigijs, & aſtris;
Facile fuit profligare hæc monſtra.
Ad ornatum deinde Vrbis, ac munimentum animum appulit.
Templa inſtaurat, vt arceſſeret Cælitum patrocinium;

Mœnia, vt arceret hoſtes.
Sed dum ab externis armis Romæ cauet,
Ab inteſtinis non cauet ſibi.
Coniurant in Pontificis caput ſumma capita.
Quam deinde hydram non vnus Hercules detruncauit.
Furit etiam in Pontificem Leo Tertius Cæſar:
Nec mirum, in viuam Dei imaginem ferri,
Qui Diuorum effigies
Diſcerpere, exacutis vnguibus, conabatur.
Dira eius rabies effictos lapides admordebat,
Factuſque eſt è Leone canis.
Nec ſatis Iconoclaſtam eſſe:
Stragem marmorum cumulabat ſtrage mortalium,
Gregorij Zelo in ſcelus exardeſcente.
Sed Is inter præclara facta correptus fato,
Poſt ſextum decimum Pontificatus annum,
Aulæ ſtrepitum cum tacita hac vrna commutauit.

AD GREGORII TERTII

Tumulum

INSCRIPTIO XCI.

Pont. XCI. Ann. D. 731.

Gregorius latet hic Syrophœnix: indole Romam
Fragrantis Patriæ balſama odora tulit.
Ingenio altiuolans, aquiliſque ſimillimus, acri
Obtutu, & mentis vi peracutus erat.
Quos ſacra arcanos inuoluit Pagina ſenſus;
Quid vox grandiloqui Numinis alta ſonet;

No-

Nouit: & interpres facundus diuite lingua
　　Sic docuit, Superûm vt dixeris ore loqui.
Mores adde pios linguæ, documentaque vitæ;
　　Nunquam fax animis acrior vlla fuit.
Largus adeſt inopi: fuluum dum prodigit aurum,
　　Effuſis opibus creſcere credit opes.
Intrepidus fidei vindex: non ora potentum
　　Effera, non horret triſte ſupercilium.
Auguſtum hinc viſus diris petijſſe Leonem
　　Alcides Latius, nec timuiſſe minas.
Oderat is Diuûm ſpirantia molliùs æra,
　　Quaſque animat telas viuus ab arte color.
Iniectaque manu, perdi ſimulacra, verendos
　　Iuſſerat & vultus, quos temerare nefas.
Relligione calet, cui tela vicaria Cæli,
　　Romano & mulctat fulmine grande ſcelus.
Et ſimul auguſtos, exuto Cæſare, faſces
　　Ponere,& Imperij Romula ſceptra iubet.
Diſce, Leo, Diuos non temnere: vindice Diuum
　　Dextra, de tanto Cæſare iam nihil es.
Teque, Luitprande, obſeſſa procul arcet ab Vrbe
　　Gregorius, Galli Principis auctus ope.
Hinc fractus Mauors: pacataque tempora nactus,
　　Cultum aris, aras aſſeruitque Deo.
Vaticana ornat Spartanis templa columnis,
　　Fuſa Corinthiacis addit & æra focis.
Numinis & tacitas cultoribus excitat ædes,
　　Qui prece peruigiles nocte, dieque litent.
Mœnia & inſtaurat Romæ, & labentia centum
　　Tecta: domi hæc moles ſurgit, & illa foris.
Hac cum laude decem exegit Pater inclytus annos:
　　Nunc illi in gelido hoc marmore longa quies.

ADZA-

AD ZACHARIÆ PONT.

Tumulum

INSCRIPTIO XCII.

Pont. XCII. Ann. D. 741.

Zachariæ Pontificis Opt. Maximi
Si tumulum hunc ſpectas, vixit;
Si famam nominis, viuit.
Natione Græcus, eloquentia, moribus
Græciam, Italiam miſcuit.
Neſcias, plus debeat Italiæ Græcia,
Quòd Zachariæ Infulam dederit;
An Italia Græciæ, quòd Zachariam Infulæ?
Præcipua illi virtus, comitas.
Vultu ſemper inerat clementiæ Iris, ira nunquam.
Quos ante Pontificatum infenſos habuit,
Vltus beneficijs eſt.
Mos illi, hoſtes vincere telis aureis:
Sternere putabat, ſi donis erigeret.
Cum renuntiatus Pontifex eſt,
Flagrabat bellis Italia;
Victa, aut victrix æquè miſera.
Hinc Luitprandus Rex, hinc Vmbriæ Dux Traſamundus,
Armis ſuam quiſque cauſam perorabat.
Manus hic agit, non lingua:
Declamat Mars ferrea voce.
Cruentam litem
Lingua dirimit Zacharias, non manu.
Ad Luitprandum ita loquitur,
Vt iram reſtinxerit eloquentiæ flumen.
Haud impar fuit Antonio,
Cuius id facundia effecit,

Vt ſitientes enſes ieiuni redirent domum.
Compoſita Italia, clauſoque Iani templo;
Reſtituere templa Zacharias inſtituit.
Lateranam amplificauit Baſilicam baſilicè:
Porticum addidit, & portas æreas.
Diuo Gregorio ad Velabrum templum dicat:
Eius in eo caput collocat;
Vt ſuæ excubaret Ædi oculatum caput:
Neque vnquam corruerit templum,
Cui Gregorius caput ſuppoſuit ſuum.
Diuæ item Cæciliæ
Via Tiburtina delubrum ponit:
Non eguit organo templum,
Cui Cæcilia afferebat ſuum.
Palatinam bibliothecam inſtaurat.
Neque fas erat, ſqualere à vetuſtate Muſæum,
Quando nunquam conſeneſcunt Muſæ.
Dum aliud ex alio opus curat Zacharias,
Veluti labore defatigatus,
Non die ſeptimo,
Sed anno Pontificatus decimo requieuit.
Cubatque mollius in hoc marmore,
Æterno conſopitus ſomno.

AD STE-

AD STEPHANI SECVNDI
Tumulum
INSCRIPTIO XCIII.

Pont. Poſtquam terrarum, Cælique vicaria ſceptra,
XCIII. Credita Chriſtiadum & fræna fuere mihi;
Ann.D. Tam citò me rapuit mors implacabilis, almum
752. Vix vt Roma ſuum nouerit ipſa Patrem.
Nempè moras rumpit reuolubilis hora, necatque
Ceu tactum ſubito fulmine quarta dies.
Fxulat hinc Faſtis nomen, monumentaque ſacros
Immeritò faſces præteriere meos.
Nulla licet meritæ fuerint diademata fronti:
Regnaui, & Stephanus, Præſul & ipſe fui,
Pontificum & cenſum inuitis annalibus implent
Nomina, quæ fruſtra læſerit hora breuis.
Nil magnum, fateor, molitur dextera, plauſu
Digna agitat mundi mens operoſa nihil.
Hoc fato tribuas inopino: grandia nanque
Pectora non deerant, ingeniumque capax.
Me tenet exiguus ſed nunc lapis iſte: decoram
Spartam ornâre meam, ſat voluiſſe mihi eſt.

AD STE-

AD STEPHANI TERTII
Tumulum
INSCRIPTIO XCIV.

Sepulcrum hocce, *Pont.*
Cui nullum à tranſmarino marmore pretium, *CXIV.*
Satis habet ornamenti, & cultus *Ann.D*
Ab Stephano Pontifice Tertio, Romano. 752.
Scilicet, quod nomen Coronam ſignificat,
Habet ornandæ vrnæ peregrinas gemmas.
Elato Zacharia Pontifice,
Proluſit huic Stephano Stephanus,
Secundus Tertio.
Sed ille adeo breuis æui,
Vt tertium vix exceſſerit Pontificatus diem.
Triduanus Pontifex.
Hinc vnus fuiſſe in gemino Stephano Stephanus videri potuit:
Vocatuſque Secundus, eſſe qui debuit Tertius.
Conſalutatus Pontifex,
Populorum humeris in Vaticanum infertur,
Qui ferre humeris Chriſtianum Populum
Romanus Atlas debebat.
Singulari Pontifex religione,
Rem Orthodoxam æquè calami atramento,
Ac diſertæ linguæ auro illuminauit.
Prona caſui templa
Munifica ſuſtentabat manu.
Orphanorum, pupillorum, quos non genuerat, Pater.
Paupertatem nempè educabat,
Vt pauperes viuerent, non paupertas.
Aſtulphum Longobardorum Regem;

Superbè auidum, ſuperbum auidè,
Cum emollire minus poſset, fregit.
Superatis quippè Alpium niuibus, Zelo ardens,
Pipinum Gallorum Regem eò impulit,
Vt tranſalpinis armis ciſalpinum Regem
Ad ius, faſque compelleret.
Quem vorauerat Exarchatum, ac non exiguam Italiæ partem,
Euomuit Aſtulphus.
Iniqua hæc Regionum poſſeſſio
Haud longa Longobardis fuit.
Pacataque Italia,
Vicit Pipinus, triumphauit Pontifex,
Suo mox triumpho conſepultus.
Namdum terrarum, ac Cæli iura adminiſtrat,
Terras reliquit, Cælum petijt.
Dignus communi lachryma Pontifex,
Qui communes abſterſerat lachrymas.
Opportunè tot vrbes adiunxit Vrbi,
Vt in tanta iactura fletus eſſet vberior.

AD PAVLI PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO XCV.

Pont. XCV. Ann.D. 757.

Paulum habet hic tumulus Romana ab ſtirpe; vel ipſe eſt
Pontificis tanti dignus honore cinis.
Succeſſit Stephano Paulus: par indole frater
Fratri: par magno muneri vterque fuit.

Id

Id pondus verbis, grauitas ea fronte; videri
Vt vellet Romæ factus ad Imperium.
Alma ſinum ſacrat virtus: eſt largus egenis:
Semper ijs fluxu diuite prona manus.
Nocte ægros, inopeſque petit: ſolatur & auro,
Et lingua miſeros: hoc opus vmbra tegit.
Vmbra tegit: clara at pietas dum luce coruſcat,
Et nox, & tanta à luce micabat opus.
Inuiſit vinctos, alieno atque ære grauatos
Splendidus è clatris eximit ære ſuo.
Laxat & auratam chlamydem, magnaque ſub vmbra
Quos premit ærumnis ſors violenta, fouet.
Petronilla, tuos Manes, Pariumque ſepulcri
Marmor componit nobiliore loco.
In Vaticanum transfert; prope vt oſſa Parentis
Clauigeri Natæ pignora, & oſſa forent.
Augeretque decus vicino à puluere puluis,
A cinere atque eſſet ſanctior ipſe cinis.
Pectore ſed forti, vultuque minacior, arte
Spirantes Diuum vindicat effigies.
Helleſpontiacum terret ceu fulmine Regem,
Dextra auſum tabulas dilacerare ſacras.
Conſtantine, audes Superum corrumpere vultus?
Cernis? habent tabulæ, ficta vel æra minas.
In ſcelus inſurgent ſimulacra hæc fracta: Gygantes
Haud præter ſolitum ſternere ſaxa truces.
Dum vacat at ſacris Paulus, laqueataque templa
Dum reparat, ſenio debilitata ſuo;
Ipſe annis, æuo & fractus labente, decemque
Solibus emenſis, vltima fata ſubit.
Excipit & Manes, Vittataque pignora Petrus;
Atque vrna hæc gremio nobilis oſſa tegit.

Schiſma 10. Theophilati contra Paul. I

AD STEPHANI TERTII, SIVE QVARTI Tumulum

INSCRIPTIO XCVI.

Pont. XCVI An. D. 767. Schiſma 11. Conſtantino Pſeud. Pont. & Philipp. Rom.

Vt tantulum moreris, iſte lapis rogat,
Hoſpes, meretur hanc moram piùs Cinis.
Stephanùs is eſt: cunabula huic Trinacria,
At Roma mores dedit, & inſigne artibus
Expolijt ingenium; quod ornauit pudor,
Et ſanctitas, & ſplendidum morum decus.
Communis aura, & plauſus ad Chriſti vices,
Et fræna mundi euexit inclytum Caput.
Sed Comitia prius abrogant vulgi leuis,
Solioque mendacis mouent Laruam Patris,
Quem Regis ardor improbi, & plebis furor,
Et lux micantis auri, & iniectus timor
Orbis Tiara cinxerant, vittâ & ſacrâ.
Damnatus ille, indignam & abraſus comam,
Pœnám cucullatus luit tecto in breui.
Tum Stephanus aureo decorus ſyrmate,
Faſces verendos Orbis, & habenas capit.
Aulam repurgat, reuocat & mores pios,
Mulctatque ſcelus impunè graſſantis Herebi.
Quin multicipitem vt perdat Hydram multiplex
Manus, excitat in Vrbe Synodum multicipitem.
Hinc iura, leges, ſcita, & hinc ardor Patrum,
Rectiqne, honeſtique modus, & norma fidei.
Redijtque templis vultus, & ſuus color.
Cum redijt arls cultus, & frons Cælitum,
Aut picta telis, ære vel ficta ſolido.
Nanque execranda manus, & inſolens furor

Ve-

Verenda Cælis ora, telas & pias,
Aris remouerant ſacris, cultu & ſuo.
Sic Myſta grandis ſacra regit, vultu & bifrons,
Comiſque, & acer, terret hos, & his fauet.
Senio & grauis, mortalitatis lachryma
Abſterſa, ad ardua euolauit ſydera.

AD HADRIANI PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO XCVII.

Exuuiæ hic degunt Adriani: Regna Quirini *Pōt.97.*
Qui nutu rexit, ſuſtinuitque diù. *An. D.*
In grandi Solio fuit is hoc nomine Primus, *772.*
Nulli ſed vitæ laude ſecundus erat.
Nobilitant Atam, tranſmiſſaque ſanguine virtus
Inclyta, quæ magni pectoris hoſpes erat.
Pauperiem fouiſſe auro, populoſque beaſſe
Annona, & donis exhilaraſſe ſuis;
Fauiſſe ingenijs, mentem excoluiſſe profundam
Artibus egregijs, docta Minerua, tuis:
Molibus exornaſſe Vrbem, redijſſe nitori
Templa ſuo, & pulchra relligione coli;
Illius hæ curæ vigilique hæc mente volutat;
Pectora & hæc agitant, hæc operoſa manus.
At Deſiderius vexat Rex Italus: armis
Arrogat & terras, iura & auita Petri,
Nil intentatum Romana ex arce triſulcum

Ful-

Fulmen, cæleſtes nil valuere minæ.
Te, te bella vocant audacia, Carole; nam quæ
Cauſa tuis armis iuſtior vlla fuit?
Nec mora: in aerias nouus Annibal inuolat Alpes
Carolus, & media flagrat in Auſonia.
Vindicet vt Numen, maieſtatemque Latinam,
Fulminat armiſono milite, & ære ſuo.
Signa mouet, pugnat, vincit: captoque ſuperbo
Rege, catenatum Gallica Regna vident.
Romulidum hinc Præſul, belloque, metuque ſolutus,
Gratatur, Spartam pergere poſſe ſuam.
Hic cultum reparat ſacrorum; Romula templa
Hic polit: hàc vndas aſpicis ire nouas.
Tertius at ſupra bis denos attulit annus
Fatalem, vitæ luce cadente, diem.
Diuiſusque Parens Orbis: pars incolit aſtra:
Pars & in exiguo clauditur hoc tumulo.

AD LEONIS TERTII

Tumulum

INSCRIPTIO XCVIII.

Pōt.98. Ann.D. 796.

Marmor hoc cineres capit, non decora
Leonis Tertij Pontificis Optimi Maximi,
Cui Principatum prius morum comitas,
Poſtea decrulere Comitia.
In tranquilliſſimo pectore multiplex certauit virtus.
Dum qualibet ſibi præripit palmam;

Et

Et nulla in præclaro certamine vincitur,
Et omnes vincunt.
Vitæ integer, non aduerſis, non ſecundis frangitur.
Cui robuſta, ac viuida pectoris charitas,
Cum infirmis infirmabatur.
Auro addebat pretium à ſinu pauperum.
Si ſuadenda virtus erat, eloquentiſſimus:
Si exercenda, operoſiſſimus.
Literis, literatis fauere,
Hæ Leonis curæ, hoc leuamentum curis.
A Paſchali, à Campulo, viris perditiſſimis
Nil propiùs fuit, quàm perdi.
Exutum chlamyde, æquè verbis, ac verberibus vexant.
In carcerem claudunt,
Vt theatrum Leoni aperirent ampliſſimum.
Addunt compedes,
Inſtrumenta videlicet tolerantiæ Viro forti.
Debuit diuexari,
Vt exiſteret Carolo Magno ſeges gloriæ.
Strauerit Nemeæ Leonem Hercules:
Maius magni Caroli opus,
Qui proſtratum erigit Leonem.
Quas detraxit Leoni exuuias,
Fuere trophea Herculis;
Caroli, quam Leoni reſtituit, chlamys.
Gratulatus ſibi libertatem Pontifex,
Neſcias, gratior fuerit, an liberalior Carolo?
Diuiſo namque Imperio,
Orbem ſuum Gallico Alcidi impoſuit:
Conſalutauit, inunxitque Auguſtum:
Viſuſque in Occidente oriri Cæſar,
Quo tempore ad Orientem Solem
Nicephori fraudibus occidit Irene Imperatrix;
Quæ alterum Orbis implebat emicyclum,
Ad Chriſtianæ Eccleſiæ præſidium.

Pu-

Publicas indixit ante Chriſti Domini Aſcensũ ſupplicationes:
Nempè, vt Cæleſtes erogationes rogationibus impetraret.
Reſponderetque populi vocibus vox Dei.
Porrò, non ante è vita migrauit Leo,
Quàm iubatum ſydus indixiſſet è Cælo funus.
Quis dirum appellauerit Cometem,
Qui Pontificem aſſeruit aſtris, quæ rexit?
Principatum ad alteram annorum decadem extendit,
Sed breuem fecere vota mortalium.
Extinctum excepit Vaticanus:
Nec Leonem exterruit Petri Gallus.

AD STEPHANI QVINTI, SIVE QVARTI

Tumulum

INSCRIPTIO XCIX.

Pont. XCIX An. D. 816.

Roma diù meritò queritur, quòd præcoce fato
Occidit, & ſeros Stephanus non attigit annos,
E Solio breuiore gradu dilapſus ad vrnam.
Clarus luce ſua, luce explendeſcit auita.
Mutuus augetur ſplendor: nam nobilis ortum
Quæ clarat virtus, ipſo claratur ab ortu;
Atque repercuſſo geminatur lumine lumen.
Ingenio valet & cutto: nec copia fandi,
Quæ mentem euulget, facundo deficit ore.
Illius hinc humeris inſedit Romulus axis,
Arſit & auguſtus vertex ſplendente pyropo:
Gallia Pontificem mox vidit: nempe Latinæ

Sic

Sic poſcunt momenta rei: atque hinc Sequana gaudet,
Hinc Liger: occurrit Ludouicus diuite cultu,
Pronior & libat Summi veſtigia Patris.
Excipit, excipitur merito ad conuiuia luxu:
Officiumque epulis repetitis ſoluit vterque.
Poſt, quæ magna grauant, vrgentque negotia mentem,
Eloquitur: dictis Cæſar fauet auribus æquis:
Et gemmâ, nutuque probat, quod poſtulat Ille.
Idque datum Stephano eſt, vt quos, aut carcere cœco,
Dura aut exilio Nemeſis mulctarat acerbo,
Quòd coniurati temeraſſent ſceptra Leonis;
Et Patriæ dulci, libertatique redirent.
Et redit ipſe ſuum ad Tybrim, Romamque reuiſit,
Non indonatus. Ludouico à Cæſare grandi
Mole Crucem, pretioque grauem, gemmiſque coruſcam
Accipit, vt Petri votiuæ ſiſteret aræ,
Augeretque loci ſplendorem nobile munus.
Vix autem colles ſeptenos attigit, & vix
Septimus affulſit menſis; cùm tortile vitæ
Penſum luctifico mors impróba pollice rupit;
Clauſit & hoc tumulo Manes, & publica vota.
Diſcite, quàm fragilis, tenuique ſimillima vitro
Sit fortuna: viden? dum ſplendet, frangitur vltrò.

AD PASCHALIS PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO C.

Pont.C. An. D. 817.

Paſchalis Pontifex Primus, Romanus,
Exhilarare vno ipſo nomine Eccleſiam poterat;
Quid fama virtutis, & indole magni pectoris?
Eò exarſit Romani Populi impetus,
Vt non expectato de more Ludouici Auguſti anulo,
Coronauerint.
Probauit tumultuarium Pontificem Cæſar,
Quod ſciret, ab impetu illo diuini Spiritus,
Qui grauiſſima adgubernat Comitia,
Nihil eſſe tumultuarium.
Cæſar deinde Cæſarem deſtinat,
Ludouicus Lotharium,
Pater filium.
At renuntiatum Paſchalis ritè conſecrat;
Viſuſque addidiſſe diademati gemmas pretioſiores,
Solenni inauguratione, & Vicaria Numinis manu.
Hoc in religioſiſſimo Pontifice religioſiſſimum.
Innumera Diuorum pignora,
Quæ exulare extra Vrbem videbantur,
Patria donaſſe,
Exornatis aris, ac puluinaribus, vt ſplendidè quieſcerent:
Planè vt rediuiua videri poſſent oſſa, & cinis.
Diuæ Praxedi templum à fundo excitat:
Eòque immittit cruentas Martyrum colonias.
Inclyta hæc Virgo,
Quæ Martyres fouit integros,
Diſcerptos funere procurauit;

Tem-

Templum voluit, vt exciperet ſua in æde Hoſpites.
Diuæ etiam Cæciliæ delubrum poſuit:
Ornauitque peregrino marmore,
Quod dixiſſes, moueri ad Cæciliæ organa,
Vt Thebana olim ſaxa ad Amphionis lyram.
Marianam item Baſilicam,
Quæ ſemel à niue incanuit,
Senio laborantem ſuo, iuuentuti reſtituit,
Ac refloruere nouo cultu niues Exquiliæ.
Debuit & ipſe conſeneſcere,
Qui Pontificatus infantiam ſeptennis vix expleuit.
In hac modò vrna veluti intra velum
Poſteritati ſuæ adeſt,
Suaſque auſcultat tacitus laudes.

AD EVGENII SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO CI.

Eugenij Pontificis Secundi, Romani *Pōt.CI.*
Memoriam *Ann.D.*
824.
Ne putes, attriuiſſe emortuale hoc marmor. *S.liſma*
Scilicet, in præclara nomina ius fato nullum. *12.Zin*
Virtus illi, quam lux generis adauxit: *zini cō-*
Eruditio, quam ſanctitas conſecrabat. *tra Eu-*
Cum iam meritorum altitudine æquaret Vaticanum, *genium*
Facile fuit, eò aſſurgere. *II.*
Pontifex renuntiatus,

Quos intra Alpium claſtra, captiuos habebat Gallia,
Reſtituendos curauit Romæ.
Acceſſit libertati liberalitas.
Nam quos fortuna fortunis ſpoliauerat,
Fouit ipſe ſuo auro,
Donatos Patre, Patria, patrimonio.
Communi inopiæ pronior:
Viſæ ita carere viris viduæ,
Vt viros nuptis non inuiderent,
Ab ope Pontificis.
Abſterſæ pupillis lachrymæ ſolenni ipſa chlamyde.
Bulgarorum, Arabum dira gens, non ea fuit,
Quæ mentem abſterreret à cura mortalium.
Annonæ ſtuduit, annis præſertim auarè mentientibus;
Exundante Romæ copia,
Quamuis non fluctuaret in campis ſeges,
Siconem Beneuenti Ducem,
Sirenum Vrbem obſidentem,
Precibus ceu Sirenum cantu ita emollijt,
Vt obſidionem ſolueret.
Tum, vt in Siciliam ea arma adnauigarent, ſuaſit,
Factura Mauris procellam,
Securis pelagi.
Dum tegit cum plauſu Chriſtianum Orbem,
Aulam exulcerauit immiti ferro Atropos;
Inuolutuſque eſt quadriennis Pontifex
Huiuſce tumuli tenebris:
Intra luſtrum.

AD VA-

AD VALENTINI PRIMI Tumulum

INSCRIPTIO CII.

Quam digna triſti lachryma, & luctu pio, *Pont.*
Quam cernis, vrna: ſcilicet nimiùm breues CII.
Latent amores hic, & occidui citò. *An. D.*
Is eſt Valentinus, Latino à Sanguine 827.
Romæ editus, Romæ decus, & Orbis Pater,
Cui Vitta vix ornat caput, & euanuit,
Dies quaterdenos potitus Infula.
Florem iuuentæ colit Is artibus bonis,
Et moribus pulchris, Mineruæ & literis.
Quæ lubricis annis placent, nugæ, ioci,
Et fabulas mundi, odit, & faſtus leues.
Placet modeſtus rigor, & ſeuerior
Virtus, ſua & fronti ſerenitas placet.
Gauiſa Roma, micare præclaram indolem
In Sede Petri: videt & hinc rei decus
Latinæ, & Aulam floridam, & aureos dies.
At penſa Cloto dum ſecat vitæ, cadit
Fato Valentinus breui, & ſimul cadunt
Vota Vrbis, Orbis gaudia, & ſpes credula.
Nomen remanſit ſaxo inhærens, & cinis,
Pretioſior gemmâ, vrna quem clauſum tenet,
Seruatque, ceu theſaurus ardeat ſinu.

AD GRE-

AD GREGORII QVARTI
Tumulum
INSCRIPTIO CIII.

Pont. CIII. An. D. 828.

Cui à vigilijs nomen,
Perpetuam hic dormit noctem,
Gregorius Pontifex Quartus, Romanus.
Gens illi à Maiorum ſanguine prænobile,
Refudit ipſe nihilominus lucem Maioribus
Præclaræ virtutis repercuſſu.
Ingenio par illi eloquentia:
Vt creſcere videretur à linguæ facundia eruditio,
Ab eruditione fluere copioſiùs facundia.
In diuites ſeuerior, ne inopes premerent:
In pauperes pronior, ne ab inopia premerentur.
Humana ſi procuraret, ſupra hominem videri poterat:
Si tractaret diuina, accedebat propiùs Superis.
Inijt Pontificatum Gregorius,
Quo tempore irruit in Siciliam Africa.
Tergeminum Promontorium frangere ſuis cautibus
Gentis impetum non potuit.
Non ij fuere latratus Scyllæ, vt terrerent Barbaros:
Fruſtra flammas ab Ætna eiaculatur Enceladus:
Faces afferunt à ſuo Cælo ardentiores Maurorum pectora.
Adfuit Gregorius, excitata in Africam Europa.
Profligandis eius monſtris Leones Venetos aduocat:
Pœnis Leonibus fugandis, Gallos.
At, qui ſpirantes in Maurorum vultu tenebras
Diſpelleret è Siciliæ vultu,
Affulſit Corſicæ Comes, Bonifacius.
Captiuam Inſulam redemit Inſula.

Gra-

Gratulatus Gregorius Siciliæ libertatem.
Signari quippe albo lapillo
Atratæ gentis abſceſſus debuit.
Iam, Kalendis Nouembris Diuorum omnium ſolemnia
Inſtituit Gregorius:
Vt vno ſimul colerentur thure innumera ea agmina,
Haberetque Eccleſia in tot Cælitum Ordinibus Panopliam.
Nihil ſanè mirabilius,
Quàm in vnius compelli diei ſpatium multitudinem,
Quæ Cælum penè anguſtat, ac beat.
Gregorium deinde magnum nomine, factis Maximum,
Splendidiorem ad aram transfert.
Exſplendeſcere cinis ille debuit,
Qui pietate adhuc penè ardet.
Ipſe verò intra ſextum decimum Pontificatus annum,
Abit ad meliores optimus;
Dierum, ac Deo plenus.

AD SERGII SECVNDI

Tumulum.

INSCRIPTIO CIV.

Sergius hoc ſitus eſt tumulo: pura incolit aſtra *Pont.*
Ardua mens: Cineri ſed ſatis vrna breuis. *CIV.*
Editus hic magnis Atauis: cunabula vicit *Ann.D.*
Inclyta ſed virtus, ingeniique vigor. 844.
Expoliunt curæque graues, operoſaque Romæ
Munera, & aſſiduo quam terit Aula pede.

Nec

Nec mora: mole grauant Orbis, plaudente Senatu,
Et micat in niueis ſacra Tiara comis.
At dum fræna capit, terras recturus, & aſtra,
Regum Marte graui ſæuior ira furit.
Scilicet, extincto Romano Cæſare, terni
Rixantur fratres; litem agitatque chalybs.
Aſſerit hinc Orbis ſibi ſceptra Lotharius, inde
Carole, tu faſces, tu, Ludouice, petis.
Criſtati certant Galli, cognatus & enſis
In conſanguineas cernitur ire neces.
Hic fugit, hicque fugat: Mars & fauet huic, fauet illi,
Fœdatque alternus Gallica Regna cruor.
Sergius hoc petitur ferro, ſummique Parentis
Pectora fraternus lancinat iſte furor.
Hinc animos vrget monitis, mulcetque: ſuperbas
Aſpicit & Reges mox poſuiſſe minas.
Diuiſere Orbem; ſic decertantia priſcus,
Diuiſo imperio, pectora nectit amor.
Excipit & Romæ Ludouicum Sergius; ornat
Illius & ſerto diuite dextra caput.
Poſtquam pacati Reges, & Regna, docendis
Chriſtiadis curas appulit Ille ſuas.
Moribus egregijs populorum pectora format:
Haud animum, haud laſſat viuida membra labor.
Sacra ornat texto velis fulgentibus auro,
Diuorum & picto pariete templa nitent.
Relliquias Chriſti Pugilum, quos intulit enſis
Syderibus, cultu dat micuiſſe ſuo.
Tertius at mundi Patri dum labitur annus,
Affulſit triſti luce ſuprema dies.
Hic magnæ exuuias animæ, Maneſque reliquit:
Huic pretium lapidi puluis & iſte facit.

AD LEO-

AD LEONIS QVARTI Tumulum

INSCRIPTIO CV.

Procumbe ad Cinerem ſacrum, & vaporent, *Pont.*
Hoſpes, maſcula thura conſepultis *CV.*
Magnis Manibus inclyti Leonis. *Ann.D.*
Non tam vota Patrum, fauorque vulgi 845.
Dant huic tergeminæ decus coronæ;
Quàm mens aurea, largiorque dextra,
Et vis pectoris, & decora virtus.
Quid Patris valeant preces ter ampli,
Nouit lethifera chelydrus aura,
Gentis quì cumulat neces Latinæ:
Nimirum hunc labijs ſuis peremit.
Si per tecta furit ſuperbus ignis;
Orans aſtra ſubit Leo, & diſertis
Mox cedit precibus ſuperbus ignis.
Quid illud? populata dira noſtras
Terras gens Arabum, grauiſque gazis,
Cælo vindice, mergitur per vndas.
Fluctus ſcilicet ore concitauit
Pater Chriſtiadum, piaque lingua.
At dum pontiuagis timendus armis,
Arabs claſſe noua redit rapinis;
Suas ipſe mouet Leo phalanges:
Perrumpit, fugat, impetit, feroces
Diſcerpitque acies Latinus enſis.
Vrbem mox ſtruit alteram in Vrbe,
Donatque intrepido à Leone nomen,
Vt vocabula terreant vel ipſa.

Romam & largiflua manu perornat,
Æui vt ſarciat, hoſtiumque clades.
Templis reſtituit decus, micante
Auro & expolit, Indicaque gemma.
Primus hic populis videt Britannis
Pendi clauigero tributa Petro:
Anglus ſic vouet, imperatque Princeps.
Hæc olim pietas Britanna; ſed nunc
Nil ſancti reliquum, & nihil verendi.
Octonos Leo temperauit annos
Sacrorum, dominæque ſceptra Romæ:
Tum preſſus ſenio graui, fatiſcit;
Hocque in puluere dormiens, quieſcit.

AD BENEDICTI TERTII

Tumulum

INSCRIPTIO CVI.

Pont. CVI. Ann. D. 855.

Suo dignus nomine
Iacet hic
Benedictus Tertius Romanus,
Clauigero principi cinere propior, vt meritis.
Virtus illi ad cor, non virtutis celebritas.
Auerſus honoribus, honoribus aduerſatur ſuis.
Lachrymis, precibus agit, ne Pontificem legerent.

Schiſma 13. Anaſtaſij cõtra Benedictũ.

At nil valuere deprecanti Infulam preces.
Lachrimarum guttæ viſæ acriùs accendere mortalium vota;
Neque ſiſtere tantã ſuffragãtiũ vim poterat mollis lachryma.

Re-

Renunciatus Pontifex niueo ſublimis equo, candidior ipſe,
Diuæ Mariæ Maioris percelebre à Niue templum, adit.
Magnam hic Matrem triduum prenſat,
Vt regnandi artes doceret Cæli Regina.
Addit & triduana ieiunia,
Vt vires adderet ferendo oneri abſtinentia.
Poſt hanc pietatem patitur coronari,
Qui ſciuerat ſub auro vepres latere peracutos,
Ac Pontifici contingere, non modò vicariā Chriſti Tiaram,
Sed vicarias etiam Chriſti ſpinas,
Quæ caput confodiunt curà terrarum.
Publicam inaugurationem publicæ excepere acclamationes.
Terruit feſtus hic clamor Anaſtaſium, qui Sedē occupauerat.
Benedictum non amor, non clamor populorum capit.
Appellit ſtatim Chriſtianæ rei animum.
Collapſa erigit munifica manu templa:
Ornatque æquè ſaxo, ac auro,
Inſtauratis, inauratis parietibus.
Inopes deinde, altera nempè Dei templa,
A fame collabentes, largiùs fouet.
Pupillorum Pater, viduarum patrocinium.
Sacerdotum etiam funera cohoneſtat ſplendidè,
Sui nempè præſentia, qua nihil auguſtius.
Geſtiebatque iis parentare communis Parens.
Prmaturè eripitur ipſe ab humanis, maturus aſtris.
Expleto vix biennio,
Æternitas excipit ſinu.

AD NICOLAI PRIMI MAGNI

Tumulum

INSCRIPTIO CVII.

Pont. CVII. Ann.D. 858.

Emeritus mundi plauſus, ſpectatus & alta
Indole Nicoleos, virtute, & nomine Magnus,
Exuuias, Maneſque pios hac clauſit in vrna:
Spiritus, at ſuperis ſpatiatur liber in oris.
Egreſſum puerum cunis, florentis & æui
Prima rudimenta excepit laudata iuuentus,
Creſcenteſque pijs mox virtus conſecrat annos
Moribus: egregij ſacraria pectoris ipſa
Incolit illibata fides, & fulgor honeſti.
Olli hinc vota fauent populorum; & pronior vrna
Nicoleon Dominum vulgat, Patremque Latinæ
Aulæ. Roma ſibi plaudit: velocior Euris
Sed fugit ille Orbis faſces, chlamydemque ſequentem:
Excipiuntque Virum latebræ; ſi fortè Tiaram
Luſerit, & tenebris ſeſe muniuerit atris.
At fruſtra hæc: latuiſſe nequit nam ſplendida virtus.
Inuitus prodit, Petrique in Sede locatur.
Procumbunt, ſummique Patris veſtigia lambunt:
Pronus & ipſe caput vittatum Cæſar adorat,
Deducitque, & prenſat equi fræna aurea euntis.
Helloſpontiacæ Legatos tùm excipit Aulæ,
Cæſaris & multa radiantia munera gemma.
Lætitiam populi, ſacri & primordia ſceptri
Funeſtat Tybris. Flauis ſe turbidus vndis
Effert, atque ſuis indignabundus arenis
Egreſſus, per tecta ferox, per compita ſæuit,
Lymphatuſque graues immurmurat amne ruinas.

Nec

Nec ſemel hæc;ſpumatq; iterum, circumfluus almam
Atque nouis tentat demergere fluctibus Vrbem.
Nicoleos tumidi miteſcere fluminis iram
Moribus ipſe ſuis docuit, frænumque ſubire.
Nam vultu comis, faciliſque eſt pectore: fulmen
Interdum at vibrat, poſcunt ſi crimina fulmen.
Inde Rauennatis proſtrata ſuperbia Myſtæ;
Deturbatque ſuo ſolio: clementia quamuis
Mox redeat, priſcaque eiectum in ſede reponat.
Facundus lingua; calamo ſimul ardet, & ipſo
Dictante, attentas monitis dat Bulgarus aures,
Chriſtiadum facilique iugo colla effera ſubdit.
Graſſantes domuitque Arabes, quos expulit oris
Italiæ, grandique metu pia pectora ſoluit.
Bella arcet, nectit rigidos & fœdere Reges,
Legibus aduigilat, ſacrorum & iura tuetur.
Aſt vbi ſeptenos regnauit circiter annos,
Inclyta dum fulget virtus: lux occidit Illa,
Clauſaque in hoc tumulo, foris emicat, & beat Orbem.

AD HADRIANI SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO CVIII.

Pont. CVIII. Ann. D. 867.

Siſte,
Hanc à te poſcit moram
Non lapis iſte, ſed in lapide ſculpta virtus
Hadriani Secundi Pontificis, Romani.

Ma-

Maximus hic, quia Optimus.
Elato Nicolao Primo,
Ad Chriſtiani Orbis Infulā non tam euocatur,quàm rapitur.
Rara hæc auis: trahi, non euolare.
Renuiſſe, argumentum eſt, euolaſſe iam meritis.
Illa generoſior virtus, quæ fugit.
Nullum ab eiuſmodi fuga magnanimo viro dedecus.
Adrianum non terruit Herculeus labor,
Sed à mundi onere honor.
Nulla mora ad Petri cathedram prouocatur,
Inconſulto Ludouico Cæſare.
Sed dilaudat impetum læſus Caſar,
Ratus virtutem eſse ſibimet Cæſarem, qui annuat.
Quæ inerant Hadriano partes,
Aurum, ceu lapis Lydius commonſtrauit.
Erogare, haud rogatus.
Semel argenti ſummam longè imparem
Ingenti pauperum numero ita numerauit,
Vt cùm plus toto dederit, dimidium ſuperfuerit.
Monſtrum hoc, adaugere opes diſſipando.
Religioni vt conſuleret,
Concilium Conſtantinopolitanum Quartum indixit.
Terribilis hæc Epiſcoporum caſtrorum acies
Photium profligauit.
Lucem geſtabat hic nomine, caliginem mente.
Bulgaros in Romanæ Eccleſiæ clientelam recipit,
Docetque manſueſcere ſub Chriſti iugo.
Extincto Ludouico Auguſto,
Dum ſuccedaneum deſtinat Carolo filio diadema,
Ponit ſuum, vita functus.
Pluerat paulò ante Brixiano in agro ſanguine:
Impares nempe tanti Pontificis funeri communes lachrymæ:
Sanguineis proinde Parenti publico
Parentari fletibus debuit.

ADIOAN-

AD IOANNIS OCTAVI
Tumulum
INSCRIPTIO CIX.

In rudi huiuſce vrnæ lapide *Pont.*
Speculum, hoſpes, habes pellucidum, *CIX.*
Quod rerum vmbram repræſentat. *Ann.D.*
Vides hic tenuem in cinerem ſummam abijſse maieſtatem; 872.
Et quicquid ſplendoris oculos diuerberauerat,
Puluerem eſse.
Ioannes Pontifex Octauus, Romanus,
Poſt decennales, quos exantlauit, ſedendo, labores,
Hic quieſcit.
Auſpicari auguſtiùs Principatum non potuit,
Quàm Principes inaugurando.
Cæſarem nanque pronuntiauit Carolum,
Ludouici, Germaniæ Regis germanum fratrem.
Quo elato, certant pugnaciſſimè Comitia.
Pontifex Ludouico Galliæ Regi fauet:
Romani Carolo Germaniæ Regi Tertio.
Sciſsum vulgus ſuffragatur, refragatur.
Agitatur vrna violento armorum motu.
Lymphata plebs manum audet inijcere in Caput ſuum.
Carceris tenebris mancipatur à tenebrionibus Pontifex.
Sed dilapſus is fuga, ab ea cuſtodiæ vmbra illuxit Galliæ.
Ludouicum hic Balbum Regem inungit
Pretioſiore à Pontificis manu balſamo.
Trecis Concilium celebrat.
Eâ nempe illi generoſitas,
Vt vel exul leges Orbi diceret.
Reuocatos pridem è ſyluis ad vrbes Belgas;

Ne

Ne in vrbibus etiam ſylueſcerent,
Suo ſubdit Epiſcopo.
Reuerſus Romam,
Arabes, qui ex Italia Africam fecerant,
Cuius monſtra ipſimet erant,
Redire omnes in Patriam coegit,
Præter illos, quos cœdes fecere Italos.
Stylo etiam valuit Ioannes,
Conſcripta Gregorij magni vita.
Superſtitem vides in Ioannis ſtylo Gregorium,
In Gregorij vita Ioannem:
Quem exceptum licet hoc tumulo,
Sua virtus, ſuus calamus
Vetant mori.

Martinus Primus per Ciacconium

AD MARTINI SECVNDI Tumulum INSCRIPTIO CX.

Pont. CX. An. D. 882.

Sacra vides tumulo Romani inſignia Patris,
Et quæ gemma fuit, nunc marmor ſculpta Tiara eſt.
Nil legis hic pulchri, aut magni, nam ſola ſuperſunt
Nomina Pontifici, quem genuere Faliſci,
E Vaticano vix fulſit vertice ſydus,
Cum, vita fugiente, breuis lux occidit: ingens
Nec potuit virtus ſplendeſcere, & Infula factis.
Auguſtus tunc ſceptra Leo quaſsabat ad ortum:
Carolus occiduum frænabat Tertius Orbem.

Hic

Hic armis, hic fronte trucem, generoſior ipſe,
Normannum fregit, toties qui cæde Garumnam
Et tinxit Rhodanum: victum ſed Marte ſecundo,
Indeflexa iugo fidei dare colla coegit.
Sic vicit gens victa; Deo. ceciniτque Pæana.
Cæſaris hos inter Galli, Chriſtique triumphos
Martinus occidit, tacitaque hac dormit in vrna.

AD HADRIANI TERTII

Tumulum

INSCRIPTIO CXI.

Pont. CXI. Ann.D. 884.

De Adriano Pontifice Tertio
Si quid ſepulcrale hoc marmor interroges,
Ab elingui hæc audies.
Romanus patria is fuit, & ſpirituum altitudine.
Ad Pontificatus culmen euectus,
Mentem concepit æquè arduam.
Nempè S. P. Q. Romanum monuit,
In legendo Dei Vicario
Non expectandum Cæſarum anulum.
Hac gemma non indigere Tiaram Pontificum.
Vbi diuinus ille Spiritus rem agitat,
Conſpirationem ſufficere Cleri, & populi:
Illibata libertas his eſto.
Extra velum emaneant Cæſares:
Quid ijs cum Cæli cortina?
Venerentur, non moderentur diuina Comitia:

Adorent frontem, pedes exoſculentur
Summi Patris.
Danda Cæſari, quæ Cæſaris.
Hæc generoſior Maximi Hadriani indoles.
Quam illuxiſſe Orbi, luſiſſe eius vota fuit.
Vita functus intra ſeſquiannum.
Teſtata diſertè eſt publica lachryma
Iacturam Orbis.

AD STEPHANI QVINTI, VEL SEXTI Tumulum.

INSCRIPTIO CXII.

Pont. Sexto Roma dedit Stephano cunabula, & ipſa
CXII. Hunc Pario tumulum è marmore Roma dedit.
Ann.D. Par ſolio: gemmis diſtinctam, auroque Tiaram
885. Pulchriùs illuſtrat laudibus ipſe ſuis.
Nam pietas inerat, niueuſque in pectore candor,
Gnarus iura aliis dicere, iura ſibi.
Gallica qui miſcent Normanni Regna ſuperbi,
Heu nimio Stephani corda dolore grauant.
Nec leuiùs Scythicis deſæuit mœror ab Hunnis,
Quos furor huc illuc, & ſua flamma rapit.
Namque per Arctoas fertur gens aſpera terras:
Quicquid atrox ferrum liquerit, igne vorant.
Sextus non vltra ſextum mundo imperat annum:
Oſſa iacent: viuet poſthuma fama diù.

AD FOR-

AD FORMOSI PONTIFICIS Tumulum

INSCRIPTIO CXIII.

Formoſus Maximus Pontifex, Pont. CXIII Ann. D 891.
Qui
Portuenſis olim Epiſcopus nunquam non fluctuauit;
Neque in ipſo quietis ſinu nactus quietem eſt,
Stephani ſiquidem Pontificis iuſſu
Suo vulſus è tumulo,
Per ipſa peregrinari ſepulcra viſus eſt,
Semel mortuus, non ſemel ſepultus.
Peregrinatur & viuens Præſul, & exul.
Nempe vt Ioannis Pontificis manus effugeret,
Suis ſe commendare pedibus oportuit.
Per niuales Alpes in Galliam ſe ſe recepit:
Magis horruit irati Pontificis flammam,
Quàm Gallicam, aut Alpium niuem.
Sed neque adeò muniri Alpinis arcibus potuit,
Quin Alpes ipſas Eccleſiaſticum fulmen perrumperet.
Percuſſus anathemate, Romam redit;
Vbi poſt hoc dirum vulnus etiam ſpoliari contigit,
Exutum Infula Portuenſi.
Dedecus hoc nimiùm turpe Formoſo viſum.
Abſcedentem iterum Roma,
Qui Ioanni ſucceſſit, Martinus,
Reuocat, Portuenſi Cathedræ reſtituit,
Hoc eſt, tempeſtatibus diù iactatum ſuo Portui.
Neque mora: bonis, an malis artibus?
Pontifex renuntiatur.
Quoſdam fortuna eleuat, vt lapſu ruant grauiore:

Quoſdam humi affligit, vt eleuet.
Hi ſuo faſtigio proludunt caſu:
Hi ſuo caſui faſtigio.
Formoſus modò naufragus,
Modò Petri nauis Rector,
Velificare didicit, dum naufragatur;
Etſi fluctuare aſſuetus,
Pontifex adhuc fluctuat.
Procella à factioſis ingenijs;
Lecto Sergio Tuſculano Comite;
Laruatus Pontifex
Veras vero Pontifici ærumnas creat.
In hiſce tamen turbis
Imperturbata Formoſo mens.
Petri templum picturis ornat.
Formoſus nempè debuit
Elegantiam, ac formam addere Vaticano:
Porrò ſublimi licet in Sede Princeps,
Non ideò tributum non ſoluit morti.
Diem obit ſuum poſt quinquennium,
Cui ſuprema etiam quies irrequieta.

Schiſma 14. contra Formoſum P. Serg. è Comit. Tuſcul.

AD BO-

AD BONIFACII SEXTI
Tumulum
INSCRIPTIO CXIV.

Boniſacius Pontifex Sextus Etruſcus ; *Pont. CXIV.*
Legitimis lectus Romanorum Comitijs, *An. D.*
Oſtenſus duntaxat Chriſtiano Orbi fuit. 895.
Nihil eo fugacius,
Grandi licet grauatus mole terrarum, & Cæli.
Biſsenos vix dies regnat :
Viſus è Petri throno euolaſſe, ſedere qui debuit.
Fulgurat, non lucet.
Tanti honore culminis
Bonifacij potitur vmbra, non Bonifacius;
Cui ſtatim à publicis gentium lætitijs lethum contigit.
Latetque in hac vrna,
A nomine vix notus Pontifex.

AI STE-

AD STEPHANI SEPTIMI

Tumulum

INSCRIPTIO CXV.

Pont. CXV.
Ann. D. 895.

Stephanus Septimus, Romanus
Alto hic in puluere, ceu molli quieſcit in culcitra;
Qui haud quieſcere aliorum Manes voluit.
Pontifex vix conſalutatus,
Inſectari Formoſi nomen vſque adeò cœpit,
Vt reſciſſis primùm eius actis,
Qui ſublatus è viuis iam fuerat,
Eripere deinde è mortuis contenderit.
Diffracto ſiquidem ſepulcro;
Extrahi inde Pontificem iuſſit:
Nempè, vt veluti è ſomno excitatus,
Suam ipſe ærumnam cerneret.
Ad hæc, expoliatis Pontificia chlamyde corporis exuuijs,
Iniectoque profano habitu,
Illum profano etiam tumulo addixit.
Implacabile odium illud eſt,
Quod ad emortualem lapidem non frangitur.
Hocque inſolens, ſæuire in cinerem flammam iræ.
Neque hoc Stephano ſatis,
Præciſo, proiectoque in Tyberim pollice, indice:
Scilicet, immanem hunc ſtomachum
Nunquam non poſteris index ille indicabit.
Sciuerit olim, obtruncata lingua,
Libatam pudicitiam euulgare digitis Puella,
Formoſus, obtruncatis licet digitis:

Non

Non ideò non tranſcribet in æuum atrox facinus.
Annum, vel eò amplius vixit Stephanus,
Cuius famæ Formoſi nomen
Non nihil turpis probri afflat.

AD ROMANI PONTIFICIS

Tumulum

INSCRIPTIO CXVI.

Editus eſt Romæ Romanus, Roma ſupremam Pont. CXVI. Ann. D. 896.
Pontificum clamydem, & ſceptra Latina dedit.
Inuida ſed citiùs Lacheſis ſecat aurea vitæ
Stamina, nec longos fata dedere dies.
Hinc ieiuna illi virtus, nec ſplendida facta
Condecorant nomen, ſummaque ad aſtra ferunt.
Id citra peragit laudem: nempè abrogat acri
Quæ Stephanus ſancit iura, ſupercilio.
Scilicet, extincto non parcit, & acta ſeuerus
Cenſor dum ſcindit, Manibus arma mouet.
Abſtulit at menſis Romanum tertius: vrna
Et iacet in modica; ſopit & alta quies.

AD THEO-

AD THEODORI SECVNDI
Tumulum
INSCRIPTIO CXVII.

Pont. CXVII Ann.D. 897.

Situs hic Theodorus, Pater Patrum, breui
Qui functus Infula, aureum ſceptrum Dei,
Cæliqᵫ ſupremas vices tenuit dies
Decem, & decem, precarius rerum Arbiter:
Formoſianis partibus fauet, graues
Romæque turbas diſſidentis concitat,
Dum facta laudat, approbatque Principis,
Cui nomen haud gratum, indoles dura & nimis.
Sceptri hæc rudimenta ſacri Arabes armis ſuis
Sæui cruentant: impetu nam Dauniam,
Campoſque fertiles petunt, ferro & metunt.
Garganus, & querceta Gargani gemunt,
Captiua ſub graui aſperæ gentis iugo:
Nec amplius ſitit Appulus, potus ſuo
Cruore, fundit enſe quem ferox Arabs.
Sed libat hæc parcè Theodorus, aurea
Exutus Infulâ citò, & vitâ breui.

AD IOAN-

AD IOANNIS NONI
Tumulum
INSCRIPTIO CXVIII.

Ioannis Pontificis Noni, Romani *Pont.*
Tumulo 118.
Vix habet, quod incidat ſtylus. *An. D.*
Poſt conſepultas hic exuuias 897.
Facta conſepeliuit obliuio.
Illud neſcio, an pulchrum,
Formoſi Pontificis cauſam tueri.
Quicquid Ille legum condiderat, ratum habuit:
Abrogatis,quæ Stephanus Pontifex in Formoſum ſanciuerat.
Viſus Pontificum cineres ad arma veluti concitaſſe,
Effecitque, vt extincti eorum pugnarent Manes,
Sciſſa hinc tumultibus Roma:
Pars Formoſo fauet, pars Stephano.
Cauſam perorant ferro,
Concinitque belli claſſicum Ioannes,
Qui acies etiam inſtruit Rauennate in Synodo.
Hoc Pontifice,
Ferox, ferrea gens, Hungari
Germaniam, Italiam, Galliam ferro vaſtant.
Ab Africa, vnde monſtra, egreſſi Arabes,
Calabros diripiunt.
Sed tactus fulmine Rex Arabum,
Belli & ipſe fulmen,
Dat meritas Nemeſi pœnas:
Eaque morte conſternata metu Calabria, reuixit.
Id porrò Ioanni vni contigit,
Tres nimirum Auguſtos Cæſares,

Carolum Caluum, Ludouicum Balbum, Carolum Craſsum,
Breui ſpatio temporis inauguraſse.
Coronas impoſuit tergemino Capiti,
Ceu diſtribuiſset ſuas Tiara Pontificum.
Cum interim tot Cæſarum coronis
Sui memoriam nominis ornaret Ioannes:
Qui poſt Principatus biennium
Supremum diem clauſit,
Hoc clauſus tumulo.

AD BENEDICTI QVARTI

Tumulum

INSCRIPTIO CXIX.

Pont. CXIX. An. D. 899.

Hoc qui pertenui latet ſepulcro,
Romanus patria fuit, timenda
Sceptra Vrbis tenuit manu, latinis
Dignus faſcibus, Infulaque ſumma,
Nomen Pontificis rogas verendum?
Quam ſacrum? Benedictus ille dictus,
Mores ingenuus, ſerenus ora:
Maieſtas inerat grauis modeſtæ
Fronti: pectora conſecrat decora
Virtus, & genij ſubactus ardor.
Hoc pulchrum: exitium cadentis æui
Probæ ſuſtinuiſse laude vitæ,
Mala & tempora moribus ſacraſse.
Heu, quæ dira lues refuſa terris,

Et

Et quæ tùm vitij tyrannis aulas
Potentum, & populos regebat atrox;
Dat iura improbitas; ſcelus ſuperbo
It faſtu; rutilum ſititur aurum;
Caſti ſemina nullibi pudoris.
Has inter tenebras refulſit aureum
Ceu ſydus, Benedictus: erudita
Et quamuis nequijt nitere virtus,
Tot obſeſſa malis; ſuus merenti
Vittato eſt Capiti fauor, decuſque.
Nunc poſt ſecula longa conſepulto
Da ſacro cineri roſas recentes.

AD LEONIS QVINTI

Tumulum

INSCRIPTIO CXX.

Quiſquis es, hæc paucis te vult miſerabilis vrna, *Pont.*
Quæ triſte exemplum fortunæ claudit iniquæ. *CXX.*
Si neſcis, iacet hic, nomen cui grande Leonis: *Ann.D.*
Sed qui fronte minax, aut maieſtate verenda *903.*
Aduerſum haud potuit fatum terrere; iubaſque
Exuit auguſtas, & non violabile ſceptrum.
Vix Solium ſcandit; fulget vix fronte Tiara,
Cùm Solio pulſus, raptuſque ad vincla, relictis
Faſcibus, ille Leo chlamydatus deſijt eſſe.
Ambitio facinus molitur: ſcilicet, audax
Chriſtophorus, furijs actus crudelibus, acri

Regnandi & ſtudio, Summum de Sede curuli
Deiecit Patrem, nexuſque aptauit ahenos;
Schiſma 15. Chriſtophori contra Leon. V. Improbus vt Latia Princeps regnaret in aula.
Vulnificus mœror, funeſtaque carceris vmbra,
Et ſqualor lenta ſtrauerunt tabe Leonem.
Tergeminum capiti ereptum diadema, ſacraque
Sceptra manu; ſors dira fuit: ſors dirior atqui
Pontificem ærumnis confectum, carcere in imo
Eflauiſse animam, & iuſtis caruiſse verendum
Pignus, & elatum merito ſine funere funus.

AD CHRISTOPHORI PONTIFICIS

Tumulum

INSCRIPTIO CXXI.

Pont. CXXI. Ann. D. 903.

Perpetuam agit hic noctem
Chriſtophorus Pontifex,
Cui obſcurum cognomen, genus, Patria.
Qua arte Pontificatum conſcendit,
Eadem ab eo mox gradu viſus deſcendiſse.
Septimo menſe exauctoratus,
In monaſterij ſepta compingitur;
Coactus monachum agere.
Inijt Aſcetarum vitam inuitus.
Tiaræ locum occupauit cucullus:
In lacernam abijt chlamys:
Deraſo etiam vertice,
Ne quæ remanerent Infulato capiti veſtigia dignitatis.

Mite

Mite videri poterat hoc pœnæ genus;
Quando temperaret mœroris ſenſum
Noctu, diuque à Dauidis Cithara pſalmodia,
Atque ipſa mulcerent aures ſilentia.
At luſit violentiùs fortuna.
Nam qui ſucceſſit, Sergius,
Veluti anguſta nimis eſsent Cœnobij clatra
Ampliſſimo Pontifici,
Carceri addixit.
Addiditque manibus manicas.
Hîc primum Chriſtophorus conſepultus:
Tumulatus denuò, cum diem obijt ſuum.

AD SERGII TERTII

Tumulum

INSCRIPTIO CXXII.

Sergio Pontifici Tertio, Romano, *Pont.*
Ex Comitibus Tuſculanis, 122.
Nec ſplendidus contigit tumulus à Pario marmore, *Ann.D.*
Nec ſplendidum continget à ſtylo elogium. 904.
Ea illorum temporum malignitas,
Vt non ſineret eſſe optimos,
Quos eſſe malos, nihil abſurdius.
Afflari & magnas animas oportet,
Quoties communis vitiorum Lues humanũ genus corripuit.
Sergij famam ſeuerior indoles corrupit.
Chriſtophorum è Pontifice cucullatum,
E clau-

E clauſtro in carcerem truſit.
Vtque Pontificium ligandi munus excerceret;
Ferro nexuit eius manus.
Nimirum è Pontificatu id illi reliquum,
Petri vincula.
Cum Formoſo item Pontifice,
Cuius nomini haud reſponderant mores, non mitior;
Abrogatis, diſcerptis actis,
Ne extinctus ſpiraret in tabulis.
Nihil accidere turpius Formoſo poterat,
Attamen acriùs ſæuit Sergius.
Eductum nanque tumulo, ac veluti ex fuga retractum;
Iuſſit plecti capite.
Securis non illum reperit in tumulo ſecurum, non tutum.
Viſus reuixiſſe, vt ferro vindice fatum ſuccederet fato.
Ad hoc duntaxat rediuiuus,
Vt turpiùs moreretur,
Inſolens probri Phœnix.
Ad ærumnarum deinde corollarium
Proiectus in Tyberim eſt.
In ipſa fluminis vrna vrna caruit Formoſus.
Et ſi non defuit funeri perennis lachryma,
Quando vndæ ipſæ fuere tumulus.
Vita functus poſt ſeptennium Sergius;
Cum pauló ante, ceu pararent funus,
Ferales fulſiſsent Cælo faces.
Quòd ſi Italiam inuaſere mox Hungari,
Iure affirmaueris,
Cæleſtes eos ignes,
Simul incendiſse ad Italiæ rogum
Dira Hungarorum pectora:
Simul extincto Sergio accendiſse ad exequias
Sepulcralem pyram.

AD ANASTASII TERTII
Tumulum

INSCRIPTIO CXXIII.

Pont- 123. Ann. D. 911.

Hic ſita Anaſtaſij pia pignora: maſcula ſacris
Manibus haud deſint thura cremata focis.
Moribus æquauit faſces: in pectore grandi
Alma ſuos virtus viſa habuiſſe lares.
Petri ſceptra capit, cum Regna per Itala gentes
Auguſtus Græco territat hoſte Leo.
Nempè ſuo dent colla iugo, iubet Ille minaci
Milite: ſtant acies fulmine, & ære truces.
Magnanime, occurris rigido, Landulphe, Leoni:
Opponis ſignis ſigna, tubaſque tubis.
Nec mora: perrumpit facili Græca agmina ferro
Italus, & fracto Cæſare, vicit, Io.
Gaudet Anaſtaſius, Solio dum cernit eburno
Helloſpontiacas, Marte fauente, neces.
Fræna ter octonas tractauit Romula Lunas:
Magnus & hic, poſita mole, quieſcit Atlas.

AD LAN-

AD LANDI PONTIFICIS

Pont. 124.
Ann. D. 913.

Tumulum

INSCRIPTIO CXXIV.

Hoc tegitur ſaxo Romano è ſanguine Landus,
Terras qui nutu rexit, & aſtra ſuo.
Tam citò ſed ſceptrum poſuit, chlamydemque Latinam,
Vix vt in hoc viuat marmore nomen adhuc.
Septenos non Luna ſuos compleuerat orbes,
Cum cecidit rerum è culmine grande iubar.
Adde, quod & bellis ardentibus, inclyta Landi
Haud potuit virtus luce nitere ſua.
Romuleis ſiquidem pro faſcibus Italus enſes,
Germanuſque acuit, Gallus & arma mouet.
Prælia funeſtis ardet dum cœdibus; Illi
Sat fuit egregia mente cauere ſibi.
Sæua ſed hæc inter Gradiui incendia Martis
In cineres nequijt non abijſſe citò.



AD IOAN-

AD IOANNIS DECIMI
Tumulum
INSCRIPTIO CXXV.

Ioannis Pontificis Decimi, Romani, *Pont.*
Sergij item Pontificis filij, *125.*
Haud par eſt latere nomen, *An. D.*
Vt latent hic cineres. *913.*
Rauennæ olim Archiepiſcopus:
Sed populorum turbis ab ea deturbatus Sede,
Palmæ in modum inclinatus, ſurrexit altiùs,
Potitus nempè Romanæ rei faſtigio.
Præliaris illi accomodata tempori indoles.
Victis à Landulpho, Beneuenti Principe Græcis;
Vt opem ferrent barbaris barbari,
Accerſiti ab ijs Arabes fuere:
Iunctiſque armis, per cladem Italiæ
Non modò iugum Romæ interminari;
Sed eius etiam petere iugulum videbantur.
Ioannes, ſcripto confeſtim milite,
Ita ſummum ſe agere Sacerdotem cognouit,
Vt, & litare, & militare æquè decere ſe, putaret.
Itaque cum Etruriæ Principe Alberico,
Barbaris ſe ſe obieciſse, eieciſse è Romanorum finibus fuit,
Deleuitque penitùs apud Minturnas,
Adauctis Liris vndis Græcorum, atque Arabum ſanguine.
Reuerſus triumphalis Pontifex Romam,
Certare in Albericum cæpit, qui cum Alberico certauerat.
Pulſus ille Roma,
Vt iniuriam maiore vlciſeretur iniuria,
Vngaris in Italiam euocatis,

Barbaræ gentis alluuione illam penè merſit.
Ereptæ viris opes, fœminis pudor.
Quicquid ferrum non meſsuit, corrupit flamma.
Sed Albericus ob diſcerptam ab Vngaris Italiam
Pœnas dedit, diſcerptus ipſe à Romanis.
Ioannes verò
Suo in milite ſæuitiam hoſtium expertus,
Cuſtodiæ traditur:
Vbi intercluſo ſpiritu,
Tredecennis Pontifex perimitur,
E carcere translatus ad tumulum.

AD LEONIS SEXTI
Tumulum
INSCRIPTIO CXXVI.

Pont. Leoni Pontifici Sexto, Romano,
126. Breuis contigit Principatus:
Ann. D Æterno tamen elogio parentat hoc marmor.
928. Sedit menſes ſeptem, qui ſediſse annos non paucos viſus eſt.
Et ſi haud dicendus ſediſse, cui virtus actuoſior.
Id illi primum.
Martis Vrbem, quæ ſuperiorum Pontificum genio
Martis area dici iure poterat,
Sciſsam turbis, pace nectere.
Vrbium putabat mœnia,
Innexa inter ſe ſe ciuium pectora.
Totam deinde diuulſam ſtudiis Italiam compoſuit.

Ne

Ne barbari pedem ſimul eò inferrent, & barbariem;
Neue in tam fertili agro mores diſſeminarent ſuos,
Cum primis curauit.
Clatrare metu, excubare armis.
Cum interim Sacrorum cultu, ac morum laude
Italiàm, Romam ornaret.
Quòd autem maiora non patrauerit,
Æuum illi defuit, non ille æuo.

AD STEPHANI OCTAVI, VEL SEPTIMI

Tumulum

INSCRIPTIO CXXVII.

Quis latet hoc tumulo? ſtellantis Clauiger Aulæ: *Pont.*
Quod nomen? Stephanus. Patria? Roma fuit. *127.*
Qui mores Myſtæ? ingenui. Quæ pectore virtus? *Ann.D.*
Recti cura, ſacræ relligionis amor. *928.*
Hinc indetorta regit Orbem mente, pioque
Temperat imperio iura verenda Dei.
Dum ſedet hic, Rhenum dirè populantur, & Iſtrum
Pannonij, auri quos vrget auara ſitis.
Quas Berengarius nutu Regna Itala frænat,
Burgunde, eiecto Rege, Rodulphe, capis.
Sed debellato mox Gallicus Vgo Rodulphò,
Ipſe ſibi Italiam vindicat enſe ſuo.
Bellorum in tanto res fluctuat Itala motu,
Inter & hæc Stephanus bella cruenta cadit.
Annus Pontificem coluit vix vnus, & alter,
Qui meruit longa conſenuiſſe die.

AD IOANNIS VNDECIMI
Tumulum
INSCRIPTIO CXXVIII.

Pont. Ioannes Vndecimus, Romanus
128. E Summo Vaticani vertice huc decidit.
Ann.D. De Maximo Pontifice
930. Nudum vix remanet nomen, & nudi Manes.
Fœderatæ videlicet vetuſtas, obliuio,
Eius deleuere penitùs facta:
Vt nil habeat illiteratum ſaxum hoc,
Quod poſteritatem ſuis doceat literis.
Hoc Pontifice,
Genuæ fons ſanguinis vbertim manat.
Quid, niſi cædes prædixerit fuſus cruor,
Cui nunquam ſine vulnere ſcatebra?
Hinc Arabes cruentæ illæ belluæ,
Armorum Præſidem Ianum minimè formidantes,
Sacram illi Numini Vrbem diripiunt,
Mox Hungari, altera nempè peſtis,
Cognatas Cælo Alpes ſuperant:
Atque inde, ceu dira è nubibus grando,
Vaſtandis Italiæ campis, ruunt.
Indigna planè Regio, quam barbari adeò populi populentur.
Inter haſce Italiæ clades
Ioannes quietem à fato impetrat;
Atque expleta nondum Pontificatus Olympiade,
Olympum petit.

AD LEO-

AD LEONIS SEPTIMI
Tumulum
INSCRIPTIO CXXIX.

Conditur exigua hac vrna Leo Septimus; illi *Pont.*
Sacra dedit cunas Roma, Deique vices. *129.*
Temperat Italiæ dum fræna Lotharius, atque *An. D.*
Vgo; tenet Petri ſceptra ter ampla Leo. *935.*
Quæ virtus illi: queis fulſerit Infula factis,
Magnanimæ mentis quæ documenta dedit;
Ne quære: annoſa inuoluit caligine tempus
Occiduum, & cæco delituere ſinu.
Eſt velut immanis fugitiuum bellua tempus:
Poſt homines, hominum grandia facta vorat:
Marmora ſiue Paros durat, ſiue æra Corinthus:
Æuum dente ſuo marmora, & æra terit.

AD STE-

AD STEPHANI OCTAVI, SIVE NONI
Tumulum
INSCRIPTIO CXXX.

Stephano Pontifici Octauo, Germano
Poſitus lapis hic, pauca proloquitur.
Pont. Conſcenſa is Petri naui, fluctuare ſtatim cæpit.
230. Conflata à Romanis procella,
Ann.D. Diſſutum nauigij latus, fractumque remigium;
939. Ac nullum vnquam affulſit ſalutare naufrago ſydus.
Nec ferro abſtinuit ferreus ſanè Populus,
Vulnerato fœdè Pontifice:
Cuius cicatrix inuſta turpiùs Romano nomini.
Palmare ſcelus
Vlciſci dum cogitant pij Reges, Vgo., Lotharius,
Fatali ipſi mortis vulnere concidunt.
Nec poſt multò diem obit ſuum Stephanus,
Inſigni conſtantia coronam promeritus,
Quam geſtabat nomine.

AD MAR-

AD MARTINI TERTII Tumulum

Marin. II. per Ciacconium.

INSCRIPTIO CXXXI.

Eſt, Hoſpes, quod mutus hic te moneat lapis, *Pont.*
Si immorari paulùm non pigebit. 131.
Iacet hic Martinus Pontifex Tertius, *Ann. D.*
Cuius à miti ingenio aberat, quicquid eſt Martiæ indolis. 942.
Nihil illi prius,
Quam Petri clauibus clauſiſſe Iani templum:
Nempè vt liberiùs paterent adeuntibus Dei templa.
In hiſce perornandis, inſtaurandis
Totus erat.
Vetuſtate à parietibus excuſſa,
Redijt priſcus ſacris ædibus nitor:
Cum interim viua Dei templa, pauperes,
Corruentes munifica ſuſtentaret manu.
Strepuere nihilominùs per Italiam claſſica.
Othonem, Germaniæ Regem non montes, non flumina:
Sed ſuis artibus, ſuis arcibus,
Arcet ab Italia Lotharius.
Hinc mutata campis ſeges, ac diſſeminata cadaueribus arua,
Oborta ab eiuſmodi meſſe mortalium fame.
Hinc cædes, ac decolores cædibus amnes.
Martinus emollire Martem dum ſtudet,
Suæ occurrit morti.
Quam negauere infenſi Principes pacem,
In hoc tumulo reperit.

AD AGA-

AD AGAPITI SECVNDI
Tumulum
INSCRIPTIO CXXXII.

Pont. 132. *An. D.* 946.

Agapitus Secundus, Romanus,
Moribus priùs, quàm Infula Pontifex.
In tempora incidit bellis turbulentiſſima,
Vt pacaret indole.
Tranſpadanam Italiam Hungari occupant,
Ciſpadanæ inhiant.
Hos Henricus Bauarus non vno bello fudit,
Potitus terris non ſine noua Italorum clade,
In Henricum ſumit arma Berengarius,
In Berengarium Germaniæ Rex Otho.
Italia theatrum Regum, & ludus:
Quam adamant, certatim conuulnerant.
Delirant illi, ipſa plectitur.
Agapitus luctuoſæ adeò ſcenæ ſpectator, & pars;
Inter hoſtes Patrem agit.
Domeſticis incendijs reſtinguendis extera implorat arma.
Perſanari haud poterant Italiæ vulnera ſine ferro, ac igne:
In quo tandem rogum inuenit ſuum,
Extinctus poſt Principatus nouennium,
Grauique ſub hoc lapide emortuali
Bellorum non timet motus.

AD IOAN-

AD IOANNIS DVODECIMI

Tumulum

INSCRIPTIO CXXXIII.

Iacet in huiuſce tumuli tenebris *Pont.*
Ioannes Pontifex Duodecimus, Romanus, 133.
Cui nominis, famæque lucem inumbrauit liuor. *Ann. D.*
Ex Comitibus Tuſculanis. 956.
Alberici Patris potentia ſubijt Pontificatum.
An ſanctè adminiſtraret, quod quæſiuerat ambitioſiùs?
Agenij leuitate deſiderata moribus grauitas.
Gratum illi exagitare venatu ſyluas:
An Chriſti Eccleſia ſylueſceret, nihil curæ.
Hinc diſcincti paſſim mortalium mores,
Soluta Principis vita.
Romanum Cæſarem appellat Roma:
Adeſſet cadenti ſub ceruice impare Vaticano.
Religionem ſaluam ſi vellet,
Adderet ſuæ Aquilæ nouum ad terrorem fulmen,
Nouas ad celeritatem alas.
Otho is tum erat Imperator,
Qui domito Boleslao, Boemiæ Rege,
Fuſis Hungaris, atque Hungarorum non vno bello Regibus,
E captiuis eorum coronis
Suum ſibi conflauerat diadema.
Vt tot occurreret malis inclytus Cæſar,
Pijs armis, armata pietate Italiam petit.
Berengarium, Albertum, geminam Italiæ facem
Bello capit.
Alterum vltra mare, alterum vltra montes exilio mulctat.
Cum Pontifice agendum Concilio Patrum fuit:

Fugatur, exauthoratur;
Leonem Octauum Pontificem conſalutant.
Romanus Pontifex Leoni datur diſcerpendus.
Sed pulſus mox Roma
Hic Leo eſt:
Fuitque Leoni
Leo Ioannes ipſe, qui fugauit.
Per hæc tempora Italiam inceſtauere prodigia.
Inter ventorum, ac turbinum conflictus,
Conterendæ communi felicitati,
Excuſſum è Cælo ingenti mole ſaxum.
Viſæ in mortalium chlamyde cruentæ Cruces.
Cruentari olim Crux nequijt
Sine Dei, & naturæ vulnere.
Quid non metuerent ad eiuſmodi nunc Cruces homines.
Inter hæc portenta extinguitur Ioannes.
Poſt annum Principatus octauum:
Habuit in ſaxo illo Sepulcralem lapidem, Pontifex:
Cæteri in Cruce ſupplicium.

AD LEONIS OCTAVI
Tumulum

Pont. 134. *An. D.* 965.

INSCRIPTIO CXXXIV.

Leo Octauus, Romanus
Non diu vitalis in Petri Sede,
Suas hic exuuias reliquit.

Ioanne Pontifice Duodecimo exautorato,
Quem ſui mores præcipitem è rerum culmine dederant,
Othone Cæſare agente,
Inauguratus Leo hic eſt,
Cui Leonis maieſtas inerat, non ferox indoles.
At dum vacat muneri, vacare munere oportuit.
Acti ſiquidem ſuam in rabiem Romani;
In Leonem inuehunt, Leones ipſi longè ferociſſimi.
E Petri Solio proturbant, in ordinem redigunt,
Inaugurato Benedicto Quinto inauſpicatiſſimè.
Exarſit hinc nempè Otho:
Fulmine agit, quod ad flammam pectoris procudit.
Neque mora: territis Romanis,
Suæ Sedi reſtituitur Leo, ſua Sedes Leoni.
Benedictus in Germaniam amandatur,
Exutus chlamyde, quam diſſecuerat.
Inter hos veluti reciprocantis maris æſtus
Communi fato mergitur Leo:
Vbi Vicarias Chriſti vices
Menſes bis octonos adminiſtraſſet,
Contentus tumulo, vbi nil fluctuat.

Hunc Antip. agnoſcũt viri doctiſſ. præcip. Baron. in Ann. vi de Ciaccon.

Schiſma 16. Benedicti 5. cõtra Leon. 8. ſecundũ Platinã.

AD BENEDICTI QVINTI, SIVE SEXTI Tumulum

INSCRIPTIO CXXXV.

Pont. Benedictus Quintus, Romanus,
135. Pontificatum ſeſquiannum geſſit:
Ann. D. In ſeſquianno ærumnarum penè ſeculum vixit.
964. Benedictus in execrandum offendit virum:
Fuit is Cincius,
Romanus ciuis, ſed Leo Pœnus.
Sanguine prænobilis., ſanguinis ſitientiſſimus.
Cæleſtia haud veretur ſceleſtus.,
Iniecta in Pontificem manu.
Quos ipſe commerebatur nexus,
Benedicto induit;
In arcem Æliam compactos
Vt ſimilis omninò Petro eſſet, non defuit illi carcer,
Enectus hic fame, ſaturatus malis.
Et mox fracto iugulo, mori iuſſus infractus:
Euolauitque catenato à Corpore liber Spiritus.
Pontificis tamen luit Cincius famæ probro:
Luetque immeritam necem ſeculorum conuicijs.
Cum interim ab hoc illum tumulo
Adhuc exprobret verendus Cinis.

Idem

Idem Tumulus Phaleucijs Expreſſus.

Ærumnas Benedictus, & ſilentes
Manes contumulauit hac in vrna.
O, quæ pertulit irretortus ora
Supremus Pater! Infulæ ille fulgor
Quàm diram Iliadem attulit malorum!
Ferox indole Cincius, ſuperbis
Æquè moribus improbus, vetuſtis
Ac fulgens atauis, domoque priſca;
Incenſus furijs ſuis, Latinum
In Patrem furit, Arbitrumque Cæli.
Damnat ſydereum Caput tenebris
Cæci carceris, impiuſque ahena
Vincit compede pedes verendos.
Auget crimine crimen, & cruenta
Regem non metuit manu ſacrorum
Fracto gutture perdidiſse dirè.
Quæ tandem mariumque, fluminumque
Palmare hoc ſcelus expiabit vnda!
Quæ vis ignea fulminis triſulci
Mulctet pro meritis caput ſceleſtum!
Romano, Benedicte, ſeqiannum
Sedes vertice: ſordidata quamuis
Triſti carcere, dignitas decora
Frontis non micuit: tamen ſereno
Numen pectore fulgurabat ingens.
Nunc te marmor habet, quies & alta:
Ore haud Cincius hic furit ſuperbo.

AD IOAN-

AD IOANNIS PONT. TERTII DECIMI Tumulum

INSCRIPTIO CXXXVI.

Pont. Ioannes Pontifex Tertius decimus, Romanus
136. Habuit, vnde hanc tumuli quietem exoptaret,
Ann.D. Infortunijs diù, ac peracerbis conflictatus.
965. Viſus Vaticani verticem conſcendiſſe,
Vt certiùs in illum collimarent Romanorum odia.
Infelicitas illi à felici Campania.
Accerſitus inde Ioffridus, contumaciſſimi Vir ſpiritus,
Abreptum è Laterano, in molem Æliam trudit,
Inde Capuam adducit Orbis Caput.
Exul Capuæ Pontifex, è Capua Romam fecit,
Romanis nempè faſcibus, ac frontis maieſtate.
At de Ioffrido ſumit pœnas non lenta Nemeſis.
Pro ſummo Sacerdote
Cæditur hæc hoſtia à Ioanne Capuano Principe.
De Romanis Otho Cæſar dirè ſtatuit,
Decarchæ, fractis ceruicibus,
Ab infelici arbore pendent:
Hinc inſaniæ ſuæ decerpunt fructum.
Conſules in Germania exulant,
Nempè Hercyniæ belluis obiiciuntur.
Vrbis Prætor, & fax ſceleris, Petrus
Per fora, per compita,
Inter conuicia vulgi raptatur.
Tùm abraſo mento, ne quid iudicii mentiretur barba,
E capite Conſtantiniani equi ſuo crine ſuſpenditur,
Vrbis fabula non mendax.
Poſt: enìò turpi impoſitus aſello, turpior ipſe,
Ob-

Obuerſo ad clunes vultu,
Vt eſſet, quod oblectaret pulchrè oculos.
Cædente ſtrenue Lictore,
Traductis nempè ab aſello ad ſeſſorem flagris,
Eques ſplendidus tota equitauit Roma.
In atrox crimen ſic vindicatum,
Vt diſcerent diuinitatem Infulæ mortales metuere.
Poſt hæc Otho ſenior cũ Othone filio diuiſũ imperiũ voluit,
Ac viſa biceps Romana Aquila,
Io:Pont. Iuuenis ornatiſſimi cæſariẽ ornat Cæſaris inſignibus,
Vnà cum Theophania, Græca coniuge.
Inter noua hæc Cæſarum diademata
Luculentiùs Capuana fulſit Tiara:
Erecta in Metropolim, caputque Eccleſiarum Capua.
Poſt ſeptennium, qui propior Deo erat Tiara principe,
Fit etiam propiùs,
Poſito hic corpore.

AD DONI SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO CXXXVII.

Donum Pontificem Secundum, Romanum, Pont. 137.
Poſt breues Vaticani faſces Ann.D.
Complectitur vrna hæc breuis. 972.
Quod ſplendidum fuit Dei donum à magna virtute,
Parca exiguum fecit à præcipiti fato.

Pau-

Paucos emenſus is Principatus menſes,
Intra annum
Vita, & ſuo munere functus eſt Donus.
Modeſtia, quæ in ſumma fortuna rara, & inſolens,
Præcipua illi virtus,
Cùm à temporis anguſtia
Exornare egregijs factis Inſulam nequiuerit,
Polliciti facta mores boni,
Viſi plauſus emeruiſſe mortalium.
Hoc Pontifice,
Eduardus, Angliæ ſceptro inclytus,
Sanctimonia ſceptrum conſecrat.
Indignus, quem perditiſſimæ nouercæ odium
Dirè perderet.
Iacturam reſtituit Hungarorum Rex,
Eadem hac tempeſtate
Ab Adalberto, Pragæ Antiſtite, Chriſto genitus.
Adalbertus verò poſtquam inclytam hanc Sobolem
Per aquæ baptiſmum Chriſtianæ religioni dedit,
Dedit Chriſto Sanguinem.
Iam, ne indonatus videatur Donus,
Da, Hoſpes, ſacro Cineri flores.

AD BONIFACII SEPTIMI
Tumulum
INSCRIPTIO CXXXVIII.

Miraris, Hoſpes; mutilum hoc marmor? *Pont.*
An linguam mutilauit vetuſtas, 138.
Ne loqueretur? *Ann.D.*
Bonifacius iacet hic Pontifex Septimus. 975.
Nomini haud reſpondit morum fama.
Hinc nimium ſibi in illum
Licere voluit hiſtoria.
Stylum exacuit, vt figeret,
Indigentque litura literæ.
Apage inuerecundum adeò calamum, *Schiſm.*
Auſum ritu fulminum tangere ſummos montes: 17. *in-*
Si Luſca fuerit frons; *ter Bo-*
Habet, quid te doceat, egregius ille pingendi artifex; *nif.6.&*
Vt ea parte pingas, quà frons lucet. *Bened.*
Neque par eſt, abire in Teleſcopium calamum, 7.
Vt quas nimia lux ſorbet,
Solis maculas euulget.
Bonifacium carpere, maleficium fuit.
Iam diù quieſcit in Cinere,
Fortè ad pœnitentiam.
Tu Manibus parce.
Reuerere in puluere Numinis olim vices.

AD BENEDICTI SEXTI, SIVE SEPTIMI

Tumulum

INSCRIPTIO CXXXIX.

Pont. 139. *An. D.* 975.

Benedicto Pontifici Septimo;
Ex Comitibus Tuſculanis Romano,
Satis hæc breuis vrna.
Quieſcere haud poſcit laxiùs paucus cinis.
Difficillima is tempora facilitate morum emollijt.
Didicere mitiùs agere infortunia
A comitate Pontificis.
Eo regnante,
Otho Cæſar, concepta in Beneuentum ira,
Quæ pectore ardebat flamma,
Immiſit in tecta.
Ereptum igne inclytum D. Bartholomæi pignus,
Romam tranſtulit.
Chriſtianus hic Hercules;
Non Leonis, ſed flamet clarus pelle,
In Inſula ſiſtitur Tyberina:
Hiſque auctus ſpolijs Tybris,
Faſtu inſolito triumphauit.
Quod verò ſplendidiùs nequiret conferre Romæ munus,
Ne impar videri ſibi ipſi poſſet,
Moritur ſtatim Otho:
Succeſſitque Othoni Otho,
Plaudente ad auguſtalia Comitia Pontifice,
Qui octonos omninò annos cum præfuiſſet,
Eandem mox Othonis orbitam triuit,
Functus vita.

AD IOAN-

AD IOANNIS XIV. XV. XVI.

Tumulum

INSCRIPTIO CXL.

Tergemino Ioanni, *Pont.*
Quartodecimo, Quintodecimo, Sextodecimo 140.
Communem damus vrnam, 141.
Miſcemuſque eorum cineres, 142.
Quos par temporum iniuria, *Ann.D.*
Non impar à mortalibus inuoluit calamitas, 985.
Ac Pontifices fecit ærumnoſos. 995.
Romani omnes, patria,
In Romanis ſuis Græcam experti fidem.
Sextodecimo cum Creſcentio Conſule res fuit.
Dominari in Vrbe cùm cuperet,
Exulare coegit Vrbis Dominum.
Sed exul Roma eſſe non poterat,
Cuius remanſerat Romæ in omnium animis timor.
Stat pro Pontifice Otho Cæſar.
Hinc territus Conſul, ſecuritati conſuluit ſuæ.
Reuocatur Ioannes:
Excipiunt Romani exulem:
Adorant, quem oderant.
Frontis maieſtati obſequium deferunt pedum oſculo.
Sed dum ſua quieſcere in Sede putat,
Quieuit in tumulo decennalis Pontifex.
Sextodecimo præiuerat Quintus decimus,
Cui, æuum ſi ſpectes, breuior vita;
Si populorum odium, diù vixit,
Octomeſtris licet, & precarius Pontifex.
Ea tempora terruere terræmotus,

Et capillatum ſydus:
Nempe cum Romanorum contumacia
Coniurauere in Ioannem
Terrarum portenta, & Cæli monſtra.
Par Ioanni Quartodecimo fortunæ inclementia:
Menſe Pontificatus tertio
Malè feriati, ac ſuis acti furijs Romani,
Pontificem in carcerem compingunt.
Perpeſſus hic alia ex alijs mala in mole Ælia;
Breui moritur,
Nactus alterum in tumulo carcerem.
Ad hunc ſcopulum,
Poſt diram ventorum rabiem,
Adactus Pontificum Ternio.

Pont. 143. Ann. D 995.

AD GREGORII QVINTI
Tumulum

INSCRIPTIO CXLI.

Gregorij Quinti Maximi Pontificis
Non memoriam, non marmor læſit vetuſtas.
Pauca hæc legere; pretium erit, Hoſpes, non labor,
Editus è regia Gallorum ſtirpe,
Schiſma 18. Ioa. 17. cōtr. Greg. 5. E Brunone appellari Gregorius,
Atque à vigilijs iure debuit:
Vigiles nanque Galli.
Othonis Cæſaris conſanguineus,
Eius aura ad Eccleſiæ Principatum velificauit.
Sed

Sed Othone in Germaniam abeunte ,
Quæ aſſurgere Pontifici ſuo debuit ,
Viſa in illum Roma inſurgere :
Creuitque audacia, Creſcentio Conſule;
Expulſo ſua Sede Gregorio ,
Per populorum turbas ſalutatur tumultuarius Pontifex ;
Ioannes is fuit , natione Græcus :
Nimirum Sedem iniijt non ſine arte Pelaſga ;
Epiſcopus item Placentinus :
Nec potuit non diſplicere à Placentino tantum facinus ;
Præfuit Græca illa Pontificis Larua ,
Quoad Otho armorum luce Laruam diſpulit.
Victis perduellibus , cæſo Conſule ,
Pſeudo Pontifice oculorum , ac vitæ luce orbato ,
Collocatur iterum bono in lumine Gregorius.
Romana is potitus chlamyde, Romano conſulit Imperio ;
Septem-Viros ſtatuit ,
Qui Cæſarem Orbi darent.
Hi ſeptem Germaniæ Triones ,
Auguſtum triumphali curru imponerent.
Nihil hoc concurſu ſyderum auſpicatius ,
Qui Cæſares nutu facit.
At Gregorius in pauperes ſplendidè pius ,
In ſacrorum cultu piè ſplendidus ,
Non diù vitalis fuit.
Paulò poſt biennium extinctum
Excepit ſuo ſinu Vaticanus Petrus.

AD SIL-

AD SILVESTRI SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO CXLII.

Gallica Silueſtro ſua dat cunabula tellus;
In tacito mores dant pia clauſtra ſinu.
Pont. 144. Primam dant chlamydem Rhemi: clamydemque ſecundam
Ann. D 998. Pronior, & facili fronte Rauenna dedit.
Othonis mox vela tument ad Cæſaris auram,
Et Vaticani ad culmina velificat.
Silueſtro haud mores ſylueſtres: nobile pectus
Excoluit ſtudijs docta Minerua ſuis.
Sæpe Architam audit facundum: atque ore diſerto
Sæpe Siracoſio cum Sene verba ſerit.
Orbem metitur radio, metitur arenas:
Nec ſordet docto à puluere culta chlamys.
Itque per immenſi, terraſque, & climata mundi,
Et mundo, & Cælo non minor ingenio.
At maculat liuor famam: magnumque Parentem
Inſpergit mendax ſepia felle ſuo.
Audax probra iacit calamus, viſæque Latinæ
Hiſtoriæ veluti fabula Græca loqui.
Artes nanque malas Herebi tenuiſſe nocentis
Dixere, & genios conſuluiſſe nigros.
Ter magno Capiti quis tantum labis inuſſit?
Et potuit tantum quis vomuiſſe nefas?
An ſtyge cum furua commercia miſcuit Ille,
Ardua qui nutu temperat aſtra ſuo?
Quatuor in Solio exegit non amplius annos:
Dignus Chriſtiadum ſceptra tenere diù.
Sergius extincti Laterana excepit in vrna
Exuuias Patris, ſummus & ipſe Pater.

AD IOAN-

AD IOANNIS XVII. SIVE XVIII.

Tumulum

INSCRIPTIO CXLIII.

Ioannes Decimus Septimus iacet hic. *Pont.* 145.
Obſcuræ illi magnorum fluminum ritu cunæ; *Ann. D* 1003.
Ignota etiam, quæ genuerit, Patria:
Sed Orbis Patri Orbis ipſe patria fuit.
Æquè fama, quæ vocaliſſima,
Ac literæ, quæ mutæ,
De eo ſilent.
Nihil ab hoc Pontifice expectes præclari operis,
In cuius Principatu præter infantiam nullus æui gradus.
Quadrimeſtris nam Pontifex fuit:
Nec habuit, quod iugularet in cunis.
At breuem adeò Principatum prodigia funeſtauerunt.
Viſa tellus intremere,
Veluti impendentia pertimeſceret mala.
Arſere feralem in modum cometæ.
An truculentam præſetulit feram
Caudatum ſydus?
Certè nunquam is ardor ſine cinere.
Deſijt viuere Ioannes inter iſthæc vaticinia,
Sepultus in Vaticano.

AD IOAN-

AD IOANNIS XVIII. SIVE XIX.

Tumulum

INSCRIPTIO CXLIV.

Pont. 146. *Ann.D.* 1003.

Vt latent in hac tumuli vmbra
Ioannis Duodeuigeſimi Manes:
Ita nihil de eo literæ, ac monumenta poſteritatis
Euulgant dignum luce.
An contentus conſcientia, proſtare ſua noluit?
An id infortunij virtuti contigit,
Vt ſtylus illi, non illa deeſſet ſtylo?
An otia conſepeliuere animi partes,
Antequam exuuias conſepeliret marmor?
Indignum tantæ maieſtatis Infula,
Maximum dici non eſſe;
Nullum addere ſeculis à ſplendore clarorum operum cultũ;
Nullam dare hiſtorijs ſegetem;
Nullum ſeris nepotibus documentum.
Semimortua ea vita fuit,
Quæ nihil reliquit poſthumæ famæ, nihil ſui.
Addubitatur, an vixerit,
In quo nihil pulchri, quod vixerit, teſtetur.
Planè fluxa res mortales ſumus:
At cui nullum à laude virtutis decus;
Verè puluis, vmbra, nihil

AD SER-

AD SERGII QVARTI Tumulum

INSCRIPTIO CXLV.

Sergij Quarti Pontificis Opt. Max. *Pont.*
Non tumuli ſplendor memoriam, *147.*
Sed tumulum ornat memoriæ ſplendor, & pietas. *Ann. D.*
Sapientiſſimus, pientiſſimus is fuit. *1009.*
Certabat in moribus cum ſanctitate ſuauitas,
Cum manſuetudine ardor Zeli, & pectoris.
Diſcors concordia maieſtatem, amorem iunxerat.
Experrectum illi à vi prudentiæ ingenium;
Exporrecta inopiæ liberalior manus.
Quod Siciliæ æquè pietatem, ac fruges depaſcerent Arabes;
Italiæ Principes eò impulit,
Vt illato bello,
Gentem, aut Charybdi deuorandam,
Aut Ætnæ traderent concremandam.
Tancredi Normanni haud degener Soboles,
Guglielmus Fortebraccius,
Suo vſus cognomento Sarracenos deleuit.
Tantum victoriarum, ac triumphorum
Inermi debetur Sergio, qui ſuaſit arma.
Fregerit Fortebraccius manu barbaros:
Fregit vi linguæ Sergius.
Guiglielmi gloria, victi fuere Sarraceni;
Sergij gloria, victor ipſe Guiglilemus fuit.
At rem Christianam, ſuoſque mores
Sanctiſſime dum regit,
Suprema illi lux noctem attulit.

Magnæ Animæ
Sua eſt in arce diuinitatis fauſtitas:
Magno Cineri
Sua in Vaticana Baſilica,
Ac veluti in ſinu Petri quies.

AD BENEDICTI VII. SIVE VIII.

Tumulum.

INSCRIPTIO CXLVI.

Quiſquis es, literas haſce tacitus perlege,
Pont. Ne quieſcentem Maximum Pontificem excites.
148. Benedictus Octauus ex Tuſculanis Comitibus.
Ann.D. Hic ſitus eſt.
1012. Coronatus hic Salomon diademate Matris ſuæ,
Romanæ nempè Eccleſiæ,
Henricum ſtatim Cæſarem coronauit.
Primus nomine Henricus hic Bauarus,
Inter Auguſtos facilè primus,
Indole, candore animi, ſanctimonia morum.
Connubium illi non fœcundum, non ſterile.
Scilicet, puerperia neſcit Virginitas,
Quæ nunquam virtutum ſterilis.
Communem cum Cunegunda Auguſta
Lectulum habuit, ſed floridum:
Cubauitque in roſis, in lilijs
Vtriuſque illibatus pudor.
Arſere iugales tædæ inter caſtimoniæ niues:
Ne-

Nexuit nempè animos, non corpora
Charitas pronuba.
Percarus Benedicto Cæſar, Benedictus Cæſari:
Quo pereunte, viuere vix potuit Pontifex.
Excitato in illum turbine,
E Petri nauigio ter maximum excuſſere Palinurum:
Arripuitque gubernacula adulterinus Rector.
Sed turbo is fuit turbulentiſſimorum tenebrionum.
Redeunte Cæli ſerenitate,
Reſtitutæ Benedicto claues, & clauus.
Sedit annos circiter duodecim;
Erectus ſemper ad omnem egregij operis laudem.
Ab operoſiore deinde ea Sede
Ad quietem tumuli deſcendit:
Hoſpites Manes excepit in Vaticano ſuo Petrus.

AD IOANNIS VNDEVIGESIMI

Tumulum

INSCRIPTIO CXLVII.

Habet elinguis hic lapis, quod te, Hoſpes, moneat: *Pont.*
Siſte, & mutum audi. 149.
Ioannes Pontifex vndeuigeſimus *An. D.*
Patria Romanus, & moribus, 1024.
Ex Comitibus Tuſculanis,
E Portuenſi Epiſcopo, ac veluti e portu euocatus,
Vt fluctuantem regeret Petri nauim.

Eo tempore Romanum hunc clauum capeſſiuit,
Quo Romani Imperij Laticlauium Conradus,
Nihil tum Italia turbulentius.
Dum liberari ſtudent populi,
In duriores ſe ſe nexus induunt,
Coacti ſeſſorem, ac frænum pati.
Vaſtatis, exuſtis vrbibus,
Serò per ea flammarum incendia oborta lux oculis;
Vt ſua cernerent damna.
Romanos præcipuè terruit Cæſar,
Vt Vicarium in terris Numen pertimeſcerent.
Oſtentauit is fulmen,
Excuſſitque in Pontificem amorem timor.
Conradi triumphos Ioannes cumulat,
Addito auguſtæ fronti diademate,
Cui non minimum ſplendoris, ac gemmarum addidit
Adminiſtra illa Cæli manus.
Porrò inclytus Pontifex
Mores hominum ita rexit, vt ad frugem correxerit:
Leges ita tulit, vt ijs pareret.
Adaugere maieſtatem putabat, ſi præiret comitas:
Augere opes, ſi in virtutis ſinum ſpargeret.
Vndecenni Pontifici
Parentatum ſplendidè communi deſiderio.

AD BENEDICTI OCTAVI, SIVE NONI Tumulum

Pont. 150. *An. D.* 1032.

INSCRIPTIO CXLVIII.

Benedictus Pontifex Nonus:
Ioannis Vndeuigeſimi nepos ex Tuſculanis Comitibus;
Mutato ſæpiùs vultu, ac ſcena,
Tralatitius dicij Pontifex potuit.
Sub ipſum Pontificatus initium
Populi Romani impetu
Sua proturbatus è Sede eſt.
Silueſter Tertius *Schiſma.*
Mutuato licet à Syluis nomine, *19. cōtr.*
Vrbis faſces occupat: *Bened.*
Sciſſa nimirum Petri chlamyde, *Octau.*
Enatoque extra Africam bicipiti monſtro.
Sed reflante mox vulgo,
Proturbato Silueſtro,
Suam iterum rapitur in Sedem Benedictus,
Bis Pontifex.
Verùm qui volubilis volentis, nolentis populi
Ingenium nouerat,
Vulgi metuens, haud ſecurus ſui,
Abiecit iterum faſces, & curarum faſcem.
Pontificatu abit illaudatus;
Proſcindunt nanque maledictis Benedictum,
Atque à poſito onere conuicijs onerant.
Per has Inſulæ vices
Decennium in Principatu emenſus:
Latentque hoc tumulo
Haud vittatæ Pontificis exuuiæ.

AD GRE-

AD GREGORII SEXTI Tumulum

INSCRIPTIO CXLIX.

Gregorius Sextus
Pont. 151. Hic ſitus eſt.
Perpetuam dormit noctem, cui à vigilijs nomen.
Ann. D. Abdicante Benedicto Nono:
1045. E Lateranenſi Archidiacono Pontifex,
Æquè caput tiara, ac rerum mole humeros grauat.
Viſus in turbulentiſſima incidiſſe tempora,
In quibus nullus feliciùs velificauerit.
Dum truditur Pontifice Pontifex,
Et aut à nullo, aut à pluribus,
Non tam regitur, quàm mergitur Petri nauis,
Tot Chriſtiani orbis mala diſpulit Gregorius.
A Sexto hoc non diruta Roma eſt,
Sed quæ diruta videri poterat, inſtauratur.
Quod iniuria temporum conciderat,
Generoſiore Gregorij indole erectum.
Vindicata Eccleſiæ, ac Dei iura,
Quæ ſibi improbitas vindicauerat.
Romana itinera,
Deletis igne, ac ferro graſſatoribus,
Et vltrò, citroque commeantibus,
Et ſuæ ipſe gloriæ aperuit:
Clauſà cœdibus, ac latrocinantibus viâ.
Pietas ea fuit, aut pia ſæuitia,
Diſcerpta facinoroſorum corpora litaſſe Nemeſi.
His nempè cadaueribus
Nulla fragantior Deo victima.

Schiſ-

Schiſmate ſæuiente, monſtra hæc iugulaſſe,
Herculeus labor fuit,
A quo tandem defatigatus intra biennium quieuit.
Pro cubili ſepulcrale hoc illi marmor,
Pro molli culcitra ſuus cinis.

AD CLEMENTIS SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO CL.

Clementis Secundi Maximi Pont. *Pont.*
Pij Manes. 152.
Paucis te, Hoſpes, volunt. *Ann. D*
In perbreui ſcilicet Principatu 1047.
Pauca habuit, quæ exprimeret marmor.
E Bambergenſi Epiſcopo Pontifex,
Quis eſſet in magna Infula futurus,
Minor oſtendit Infula,
Quam eximia cohoneſtauit virtus,
Et non ſine laude ingenij pietas.
Sed intra annum ſublatus
Dum ſuis proludit laudibus,
Luſit Chriſtiani Orbis ſpes.
Henrico Secundo Cæſari
Splendida contigere huiuſce rudimenta Pontificatus.
Accepto Imperij diademate.
Corona Henricum donat,

Suas.

Suas Clemens dum ponit.
Vide, quàm magnificè excedat è viuis:
Sub ipſum nanque fatum
Aurea impertitur ſerta Auguſtis.
Occurritque morti penè cum faſtu.

AD DAMASI SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO CLI.

Pont. Damaſus Secundus
153. Pontifex, an Pontificum fulgur fuit?
Anu. D Ita ſimul fulſit, & fugit.
1048. Quæ nent vitam Parcæ,
Parcæ nimis fuere Damaſo.
Haud integrum dimenſus menſem eſt:
Virtuti æuum defuit, non æuo virtus.
Conſcendiſſe, non conſediſſe in Petri Cathedra contigit.
In Pontificatum nempè ingreſſus vitæ exitu,
Imperium cum cœpit, deſijt viuere.
Dum pollicetur magna Vir Maximus,
Elatus præmaturè, fallit fidem,
Iacetque ſub hoc marmore precarius Pontifex.

AD LEO-

AD LEONIS NONI Tumulum

INSCRIPTIO CLII.

Leo Nonus Alemannus,
E Tulenſi Epiſcopo Pontifex, *Pont.*
Henrico Auguſto intimus, 154.
Ita Romanis Comitijs oblatus ab eo eſt, *Ann.D.*
Vt ſuprema in Petri Sede collocauerint, 1049.
Conciliauit Henrici fauor Inſulam,
Romana iudicia contulere.
Relicto Baunonis nomine, appellatur Leo;
Vt vitia diſcerperet generoſus Pontifex.
At Leonem dum agit in Giſulfum,
Qui Beneuentum malè occupauerat;
Haud bonum euentum pugna habuit.
Profligatus, captuſque, ita carceri mancipatur;
Vt vel è carcere terreret, vittatus, & vinctus Leo.
Non defuere Succeſſori Petri ſua vincula,
Vt vincta eos nexus nobilitaret manus.
Nec diù claudi potuit, cui Cæli claues,
Emiſſus clatris Leo,
Romanum theatrum maieſtate oris implet.
Prona illi in egenos indoles.
Haud vileſcere Pontificiam chlamydem putabat,
Cum pauperes tegeret.
Congeſtas egeſtati opes diceres.
In infirmos fortior charitas.
Semel Elephantiacum ſuo cubare in lecto voluit:
Quem poſtea haud inibi repertum,
Conſtans fuit opinio,

Aliquem illum fuiſſe è Cælitum numero.
Vides, Diuos fieri elephantiacos,
Vt Leonis dignarentur illecebris, ac beneficijs.
Digna Cælo lepra videri potuit,
Quam charitas cubili, ſinuque excepit ſuo.
Religioni cum primis ſtuduit.
In Concilio Vercellenſi
Berengarium abigendum iuſſit à grege fidelium,
Qui in Agnum ſæuiret Eucharisticum,
Incruentæ hoſtis hoſtiæ.
Hieroſolymitano Chriſti tumulo addictus,
Compoſitis ad Græcorum Cæſarem literis,
Id euincit, vt diffracta à Barbaris, farciretur vrna,
Quæ ſepulcrum extincto, rediuiuo cunæ fuerant.
Clauſit deinde lumina Aprili menſe
Poſt quinquennium Leo.
Promeritus in breui Principatu
Æuum nominis ſempiternum.

AD VICTORIS SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO CLIII.

Pont. 155. *Ann. D* 1055.

Victor Secundus Bauarus P. M.
E Petri ſolio lapſus in hanc vrnam,
Diutiùs hic quieſcet,
Breuis licet in Pontificatu labor.
Henrici Secundi Cæſaris auſpicijs

Ad

Ad id altiſſimi muneris electus,
Suis adminiſtrauit.
Conſeneſcentes mortalium mores vt refloreſcerent,
Florentiæ celeberrimam inſtituit Synodum.
Publica hac cenſura
Publicæ, priuatæque conſuluit diſciplinæ.
Commaculatas criminibus Infulas,
Mulcta eluit.
Tiaras, quibus à ſoluto pretio pretium viluerat,
Abrogauit.
Pœnis minas addidit flagrantiſſimus Pontifex;
Vt præteritis vindicatis, futuris caueret.
Tempora emendare, & mores dum pergit,
Tempore deſtituitur.
Intra Pontificatus biennium parere neceſſitati oportuit;
Nempè de Victoribus ipſis triumphat mors.

AD STEPHANI NONI, SIVE DECIMI

Tumulum

INSCRIPTIO CLIV.

Det Stephano, cinerique pio Florentia flores, *Pont.* 156.
Flos Vbi ceu breuior languit ille citò. *Ann.D.* 1057.
Vix nam ſeptenum volucris menſem attulit anni,
Vltima cum ſummum meſſuit hora Patrem.
Caſſino aſcetam mittit Lotharingia: Romæ
Caſſinum: in Petri culmine Roma locat.
Improbus, Henrici Soboles, Henricus ad Arcton,

Occiduique Orbis cum noua ſceptra capit:
Cum capit & faſces Orientis Alexius, albas
Tunc Stephani religat Vitta Latina comas.
Sertum nempe ſuum decorant ſic Cæſar vterque
Pontificis ſerto: creſcit & inde decus.
Nec mora: magnanima vi frangit Cæſaris iram,
Deuouet & diris, officijque monet.
Scilicet infenſum Romæ, ſacriſque Latinis,
Henricum ſacro fulmine, & ore ferit.
Non vngues Aquilæ grandis, non fulmina terrent:
Nanque ſua & Stephanus fulmina inermis habet.
Hinc optanda Viro prolixior Infula, vt Orbi
Priſcum aurum, & mores redderet Ille ſuos.
Sæpiùs at magnis mortalibus inuida Parca eſt:
Abſtulit atque diem ſæpiùs ante diem.

AD NICOLAI SECVNDI
Tumulum
INSCRIPTIO CLV.

Pont. 157. Nicolao Secundo Pont. Maximo
Non ſepulcralis ſplendor curæ fuit.
Ann. D. Quid exiguo pulueri cum luxu?
1059. Sat illi poſthuma virtutis fama:
Nullum hoc ſplendidius Mauſoleo.
Italiæ datus à Gallia,
Florentiæ Sacerdotium tenuit vir florentiſſimus.
Senis proniore Senatu Patrum Pontifex conſalutatur,
Proturbato adulterino Pontifice Benedicto,

Qui

Qui ad Petri Solium Simonis artibus contenderat.
Romæ Synodum excitauit Nicolaus,
Vt vnam Eccleſiam emendaret non vna mens.
Sancitum,
Vt quem violenta Principum aura, aut aurum,
Quem vulgi ardor euulgaret Pontificem,
Apoſtaticus eſſet, non Apoſtolicus Pontifex.
Bonum factum:
Vt iudicia legerent, non impetus:
Inempta eſſent, non inepta ſuffragia:
E Cæli vrna manaret Cæli Vicarius:
Caperent non raperent Petri chlamydem.
Hoc in Concilio Andegauenſis ille Berengarius
Rediit ad frugem, agnita fruge Euchariſtica.
Nunquam ieiunior illi ſermo,
Quàm cum dictis abrogaret Chriſti fercula.
Publica deinde profeſſus voce eſt,
Re, non vmbra ali Dei conuiuas,
Ac viuum Agnum, tanquam occiſum, apponi mortalibus.
Luculentum Nicolai trophæum Berengarius fuit.
Secundum hæc Robertum Guiſcardum,
Quem ſupercilio terrere potuit,
Vicit beneficijs,
Collata Apulia, ac magna Græcia.
Huius ope Præneſtinos, Tuſculanos, Nomentanos,
Admordentes nempe fræna populos, perdomuit.
Arma Guiſcardus commodat:
Felicitatem armis tribuit Nicolaus:
Qui & corona Imperij Henricum Tertium ſolenni ritu donat.
Diadema capitis compedes fuere:
Detinuit nanque beneficium,
Ne rem Romanam diuexaret ferocior indoles.
Intra quinquennium fungitur vita Nicolaus.
Parentat Parenti Optimo Maximo
Publica Orbis lacruma.

AD ALE-

AD ALEXANDRI SECVNDI Tumulum

INSCRIPTIO CLVI.

Pont. 158. An D. 1061.

Audi Hoſpes,
Quæ de Alexandro Pontifice ſecundo
Lapis hic diſertus loquitur.
Cogit nempè inclyta virtus
Vel ipſa profari marmora.
Mediolanum Orbi dedit Anſelmum:
Summa Infula ex Anſelmo Alexandrum fecit.
Lucæ primùm Epiſcopus, non tam Sacerdotij luce,
Quàm ſua inclaruit indole.
Abſens deinde Roma, renuntiatur Pontifex:
Aderat nempè Romæ fama nominis.
Sed ecce tibi in Gallia Ciſalpina monſtrum:
Alter videlicet Pontifex, ſeu larua Pontificis.
Cadolus is fuit, emendicato honore vel à nomine,
Appellatus Honorius.
Auſus pugnare cum magno Alexandro,
Romam armatus petit,
In Ciuitate Leonina Leonem agit,
Terret, vaſtat, miſcet omnia.
Matilda, Gothifridus inclyti Coniuges,
Quibus ſterile connubium,
Tutando Pontificem fœcundi,
Laudem, lauream peperere ſibi immortalem.
Armorum fulgur
Suſtinere haud potuit vmbratilis Pontifex.
Victus, fractus ad arcem Adriani confugit.
Nempè ſui conſcius, ac tot criminum reus,

Schiſm. 20. Honorij 2. contra Alex. 2.

Ipſe

Ipſemet ſe ſe cuſtodiæ mancipauit.
Perorata deinde in Concilio Mantuano cauſa,
Cadolus cadit,
Honoribus ſpoliatur Honorius.
Pacata re Romana,
Romam reuertitur Alexander:
Vbi poſt Principatus, an ærumnarum? decennium
Mortalitatem exuit, ac Principatum.
Contentus Laterani angulo,
Cuius poteſtati anguſtus modò Orbis.

AD GREGORII SEPTIMI
Tumulum
INSCRIPTIO CLVII.

Gregorius Septimus, olim Ildebrandus, Etruſcus, *Pont.*
Non is eſt cuius famam obruat 159.
Sepulcrale hoc marmor. *Ann.D.*
Viuet in ſinu memoriæ, in memoria temporum. 1075.
Iactatus ſemper, immotus ſemper,
A palæſtra fortior,
Cuius pectoris firmitudinem arena probauit, & pugna.
A Cincio æquè natalibus, ac ſceleribus inclyto,
Compingitur in carcerem,
Cuius tenebras, non tam Pontificiæ Tiaræ fulgor,
Quàm ignis ille magni pectoris diſpulit.
Fractis verò à Populo Romano clatris,
Publicæ luci, ſplendorique maieſtatis reſtituitur,
Cin-

Cincio fuga dilapſo,
Quem ſummo Sacerdoti,ſuæque iræ,ceu victimâ immolaſſent.
Incubuit tamen in ædes ardor Ciuium, inceditque.
Cum Henrico Cæſare,
Ne venales ſacrorum Infulas faceret auri ſacra fames,
Supercilio primùm agit Gregorius,
Oſtenditque, non deeſſe arcuatæ fronti ſua tela!
Quæ Ille dum negligit,
Viſa in Auguſtam, intentamque rapinis Aquilam
Exarſiſſe fulmina.
Exuta nanque Imperij faſcibus in Henrico audacia,
In Imperatore tyrannis;
Addito ad corollarium anathemate,
Exauctoratiſque, qui à Cæſare erant,
Gilberto, Vgone, Sigefrido,
Tricipiti nempè, qui Pontificem admordebat, Cerbero.
Henricus è Cæſare iam nihil,
Trux intus, foris pius,
Oculis ſimul manantibus, ſimul minantibns,
Exuto etiam ad pœnitudinis imitamentum pede,
Veniam poſcit, & impetrat.
Sed redit mox ingenio, mendax ſplendidus,
Dum pronus ad Pontificis pedes accidit,
Contumaciores ſumit ſpiritus attactu terræ
Auguſtus hic Anthæus.
Inſperſa lachryma,
Acriùs exarſit flamma diri pectoris,
Ac nudo illo pede vehementiùs impetit ſacrorum Regem.
Eo furente, expilata, impiata templa,
Ab immani bellua conculcata ſacra.
Hinc repetita in Henricum fulmina:
Ademptoque iterum Imperio,
Quæ remanſerat, vmbram Cæſaris,
Stricto iterum Petri gladio, exagitat Gregorius;
Illamque, inaugurato Rodulpho Saxone, ceu ſaxo petit.

Recruduit hinc Henricus.
Arma in Rodulphum mouet, in Gregorium Acheronta.
Gilbertum Pontificem pronuntiat Clementis nomine,
Quid inclementius?
A Rodulpho armis victus, à Gregorio vincitur patientia.
Vnà cum Henrico filio, digna Patre Sobole,
E Germania ſacram Vrbem petit ſacrilegus.
Dehoneſtato Petri Solio, *Schiſm.*
Pſeudo-Pontificem in eo collocat, *21. Clement. 3.*
Mirante Laterano, coronari monſtrum, ac tantum ſcelus. *contra*
Obſeſſum interim Adriana in mole Gregorium, *Greg. 7.*
Robertus Guiſcardus, fugato Henrico, triumphato Capitolio,
In libertatem aſſerit, Salernum ducit:
Vbi infractus Pontifex dat fato manus:
Romanæ libertatis cuſtos,
Pauperum condus, & promus,
Virtutis miraculum.
Nulla huic niſi in ſepulcro quies.

AD VICTORIS TERTII

Tumulum

INSCRIPTIO CLVIII.

Pont. 160.
Victor Tertius Pont. Max. *Ann. D. 1086.*
Fato ſuo victus, hic iacet.
Beneuentum Caſſino dedit monachum,

Caſſinum Romæ Pontificem.
Dignus, qui Gregorio ſuccederet, quem expreſſit moribus.
Henricus Cæſar,
Enatus videlicet ſeptemtrionali ſub Vrſa Leo,
Huiuſce etiam Pontificis extimuit zeli ignem.
Hinc propinata illi, proh ſcelus! è Chriſti calice mors:
Combibitque Pontifex immixtam vitæ luem,
Altero Pontificatus ſui anno.
Enecata arcano eo telo præclara virtus,
Oſtenſa Orbi, oſtendere nequiuit Orbi
Indolem magni pectoris.
Hoc Pontifice, adaucta Nicolai Myrenſis pignore Italia:
Manante è pretioſa piorum oſſium ſcatebra imbre,
Irrigatur ſiticuloſa Apulia.
Liquor videtur, quæ Panacea eſt,
Itque per Orbem ductilis cryſtallo ſalus,
Quam vitali è ſepulcro mittit
Myrenſis Præſul, non Senex Pergameus.
Vera inſuper fabula:
Vides hic nempè ſummum Iouem in imbre pluſquam aureo.
At, Tu, Maximè Pontifex,
Nactus æternum ſilentium, quieſce.
Et quando Victor es,
Victoris hic nos exuuias veneramur.

AD VRBANI SECVNDI
Tumulum
INSCRIPTIO CLIX.

Hic ſitus Vrbanus Pontifex Secundus,
E monacho Ebomacenſi ſummus Orbis Pater.
Splendidior illi excitari tumulus debuit,
Cui præclara ea mens, *Pont.*
Vt aſſerto Chriſti Aſſertoris tumulo, *161.*
Suus illi contingeret ſplendor, & cultus. *An. D.*
Quòd nullibi tuta in Italia quies; *1088.*
Vrbem reliquit Vrbanus.
Ac ſuperatis Alpibus,
Flammam gloriæ prænobilem per eas niues concepit;
Coacto ſiquidem Claramontano Concilio,
Ferreas Hieroſolymæ compedes
Aurea inculcauit facundia.
Quid ſinerent ad Dei monumenta ſtabulari Barbaros?
An vagientis, morientis Numinis voces non audirent?
An Traſmarinas contemnerent Palæſtinæ palmas?
Irent per Thracum cadàuera ad venerabile ſepulcrum.
Irent: ad Lydium illum Monumenti lapidem
Auream probarent indolem.
Intexta vexillis Crux,
Fluctuet ad Arabum naufragium.
Redimat captiuam Crucifixi vrnam Crux:
Crux iterum triumphet.
Exarſit vſque adeò dicendo Pontifex,
Vt incenſis Principum animis,
Sub ſignis ſtatim fuerint ter centena militum millia.
Ebulliere magnanimi Duces Bulionij:

Burgundus, Normannus, Belga, Gallus,
Viſi in tanta linguarum, morumque varietate vnanimes.
Flos Italum Boemundus, Tancredus
Excitari triumphis Aſiæ ſenſere:
Eorumque generoſiora reddidit corda
Impreſſa Crux pectori.
Quis credat, duxiſſe armatas acies inermem?
Præiuiſſe confertiſſima agmina Solitarium?
Petrus is fuit Eremicola,
Vox clamantis è deſerto.
Vmbram nemorum cum Sole, ac puluere commutauit.
Cum armorum ſtrepitu ſilentia;
Matutinas laudes cum excubijs.
Igitur infinitus propè miles de Aſia Europam fecit.
Capta Nicea, Iconium, Heraclea, Tharſus,
Mox Cæſarea, Antiochia,
Proluſere Hieroſolymæ.
Dum hæc foris,
Domi pugnat Vrbanus cum turbulentiſſimis ingenijs,
Ac Palæſtinæ pugnas Romæ habuit.
Reges, Cæſares intra diadematis ſui orbes continet,
Intra tiaras ſuas Antiſtites.
In hæreſes enſem, ſtylum acuit.
Affuſas Eccleſiæ ab Acatholicis maculas,
Suo eluit atramento.
Enatos Ciſtercienſes ſuo anulo ratos habuit.
Naſcentes Carthuſianos ſinu excipit;
Tandem vbi biſſenos regnauit annos,
Vitam cum Pontificatus Infula depoſuit,
Conſepulto ad Petri cineres cinere.

AD PA-

AD PASCHALIS SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO CLX.

A puluere, à cinere *Pont.*
Superbit lapis hic, *162.*
Vbi Paſchali Secundo Pont.Max. quies. *Ann.D.*
Æmiliam is natalibus, Romam Infula nobilitauit. *1099.*
Affulſit Vaticano,
Quo tempore, capta Europæus miles Antiochia,
Tot Aſiæ trophæis proluſit,
Triumphata mox, Gothifredo Duce, Hieroſolyma.
Euerſa hæc olim Vrbs Romano ferro, ac flamma:
Sed viſa Palæſtinæ Vrbium Phœnix,
Non tam à ſuo cinere, quàm à Chriſti tumulo rediuiua.
Inter hæc epinicia acclamatus Pontifex Paſchalis,
Cui mens ardua, ac par Solio.
Fluctuare ſtatim cœpit, in Petri naui,
Qui inter monaſterij ſepta Alcedonia diù egerat.
Certare primùm cum elementis, & Cælo contigit:
Nam præter inſolita maris incrementa, decrementa,
Viſus ferali capillamento intentare minas cometes.
Sed an metueret generoſus Pontifex pelagus,
Quod aſperat ſpuma leuis, frænat arena mollis?
An quid maſculi, aut trucis animi pertimeſceret à comato ſydere,
Cui nihil non à crine fæmineum?
Truculentiora monſtra homines.
Rebellant populi, vrbes, Principes;
Sed is, agnita in Petri clauibus claua,
Monſtra hæc facilè domuit.

Noua

Noua tamen adhuc in illum veluti è Lerna lues;
Non tam Pſeudo-Pontifices,
Quàm multorum capitum hydra fuere,
Gilbertus, Albertus, Theodoricus, Maginulphus.
Quos præcipites è Petri Solio Paſchalis vidit.
Inter portenta ſcelerum adfuit Henricus IV. Cæſar.
Cleonæum hunc Leonem
Domitor Herebi non domuit.
Vinciri tamen Paſchalis potuit, non vinci;
Theatrum virtutis, ac Vaticanum alterum
Carcer ille Pontifici fuit.
Nec poſt multò Cæſarem ipſum laureauit,
Quem triumphauerat indole.
Matilda, immortalis memoriæ Heroina,
Mortalitatem hoc Pontifice exuit.
Q nas opes in Eccleſiæ ſinu depoſuit,
Inuenit Cælo:
Hæres ipſa Triumphantis Eccleſiæ,
Quæ Militantem hæredem ſcripſit.
Quid pulchrius,
Quam Matildæ patrimonio ali Chriſti Sponſam?
Floruit hoc item tempore Bernardus,
Pia illa Apis,
Cui non aliunde oris mel, quàm à flore virtutum,
Aut ab Hybla vernantis ingenij.
At Paſchalis grandi ſupercilio
Fracta potentiorum ſuperbia,
Iniecto populis fræno,
Domito Cæſare,
Diues etiam Orientis manubijs,
Mole triumphorum, ac æuo preſſus,
Anno Pontificatus vndeuigeſimo,
Interſpirare ſub hoc tandem lapide voluit.

AD GE-

AD GELASII SECVNDI
Tumulum.

INSCRIPTIO CLXI.

Quem lapis hic tegit, *Pont.*
Natales Caietæ habuit illuſtres, *163.*
Educationem in Caſſinenſi Monaſterio piam, *Ann. D*
Fortunam Romæ inclytam. *1118.*
Gelaſio Secundo,
Cui à riſu nomen, arriſit Numen.
Patuit illi Vrbani Secundi arcanum pectus,
Nempe eius à ſecretis.
Stylum Curiæ, quem incuria, ac tempus fœdauerat,
Suæ reſtituit elegantiæ,
Eluitque maculas politiore à calamo atramentum.
Vt niteret colore ſuo virtus,
Deſtinauerat illum Purpuræ Vrbanus:
Sed quod fatum abſtulit, attulit Paſchalis.
Quo mox elato,
Effertur ad ſupremos faſces Gelaſius
In Palladij monaſterio, nempe ſapientiſſimè.
Efferueſcente communi plauſu,
Incaluit ira Cincius Frangipanus.
Tutando Pontifici fruſtra Palladium hoc fuit.
Perrumpit Cincius fores, actus furijs:
Non frontem Cælo proximam,
Non ora, plena Deo, reueritus,
Suo Gelaſium è throno proturbat,
Afflictumque humi, calcibus impetit immanis bellua!
Reuinctis etiam, proh ſcelus! manibus;
Quibus ligandi, ſoluendi vis à Cælo.

Mi-

Miratur Roma,
Rediuiuos in Frangipano Syllas:
Miratur Senones iterum Gallos in vittata capita ſceleſtos.
Concurrit ad arma Populus:
Strictis enſibus fregere Frangipanum minæ:
Neque mora:
Erepto truculentæ è feræ vnguibus Pontifice,
Coronant in Vaticano non tam dignitatem,
Quam triumphalem Gelaſij patientiam.
Is vero dum ad res Aſiæ curas appellit,
Aduertit, propius ſibi ab Henrico Auguſto bellum:
Per vrbium funera, per cadauera populorum
Romam dum fertur impius Cæſar,
Induere talaria oportuit.
Fugientem excepit Caieta,
Patria nempe Patrem.
Excepere mundi Caput ſumma Neapolitani Regni Capita,
Guiglielmus, Riccardus, Rogerius:
Quibus & tuendo Pontifici clypeus,
Et vindicando Cæſari enſis erat.
Sed Henricus, vbi è Roma ipſa Africam fecit,
Edito videlicet monſtro teterrimo,
Schiſm. 22. Gregorij 8. contra Gelaſ. 2 Gregorio Pſeudo-Pontifice,
Exceſſit ab Vrbe:
Veluti ipſemet ſuum horreret facinus.
Gelaſius, occupata impiè Petri naui,
In Galliam velificat.
In Cluniacenſi monaſterio] tranquillitatem dum expectat,
Ex pleuritide vita functus, portum tenuit.
Annum regnauit,
Cui nullæ veris, autumnique vices, ac ſpiramenta,
Sed à continenti rerum turbine totus illi hyems fuit.

AD CAL-

AD CALLISTI SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO CLXII.

Pont. *164.* *An. D.* *1119.*

Cinis, & vmbra hic eſt, qui olim fuit
Calliſtus Secundus Pont. Max.
Francorum Regum ſanguis, Patria Burgundus,
Auitas coronas Pontificiæ Tiaræ, ac ſuarum virtutum gemmis
Illuminauit.
Elato in Cluniacenſi Monaſterio Gelaſio,
Pontifex ibidem conſalutatur:
Vt acceſſerit à Pontifice Monaſterio ſplendor,
A Monaſterio Pontifici ſanctitas.
Calliſto id præcipuè propoſitum,
Palæſtinæ bellum,
Vbi victori, ac victò æquè vireſcunt palmæ.
Auſpicatum à pace cum Henrico Cæſare hoc bellum,
Interturbari Siculis Rogerij armis doluit.
Occupata hic Calabria, vſurpata Apulia,
Militare ſibi, quàm Deo maluit.
At, coacto Romæ Concilio,
Addidere faces Chriſtianorum Principum lateri
Laterani Patres.
Huiuſce ſpe ſubſidij erectus in Aſia Balduinus,
Bella ex bellis ſerit, victorias ex victorijs demetit.
Poſt captiuos Reges captiuus ipſe,
Partis tot trophæis, à Parthis vincitur.
Inſtaurata ſed Claſſe, iuſſiſque militare ventis,
Victorias inſtaurant Veneti,

Terretque Leo Italus Ægyptum, Thraces, Arabes.
Calliſtus nactus Romæ otia,
Ab Vrbe, à templis, ab aris arcet ſenium.
Sacra auro, fora vndis exhilarat.
Sed à Pſeudo-Pontifice Gregorio
Præclaris hiſce curis moræ.
Vt Petri Ille conſcendat Solium,
Ruit in ſcelus omne.
Illibatam Chriſti Sponſam rapinis, cœdibus commaculat.
Quid ageret Calliſtus?
Arma armis, pila minantur pilis:
Profligatur Gregorius:
Camelo impoſitus, Romam ducitur.
Equitare altiùs non potuit ſuperbia,
Quàm in prolixioris colli bellua.
Grauior Cameli gibbo ſarcina tot ſcelerum moles.
Triumphauerint equis, elephantis, Leonibus
Priſci Cæſares:
Calliſtus Camelo triumphat.
Poſt hæc trophæa ſuas morti exuuias ceſſit
Optimus Pontifex,
Euoluto non dum Principatus ſexennio.

AD HO-

AD HONORII SECVNDI
Tumulum
INSCRIPTIO CLXIII.

Honorius Secundus Pont. Max. Foro-Cornelienſis, *Pont.*
Humili loco, non indole. *165.*
Principatum longè melioribus rexit artibus, quàm acquiſiuit. *Ann.D.*
Nam Petri Leonis acriori ſtudio *1124.*
Romanæ rei impoſitus,
Leo ipſe, non indole præferoci fuit,
Sed animi magnitudine. *Schiſm.*
Leonis opera Pontifex, *23. Cæ-*
Ac viſæ iterum Leonis fauces mellificaſse. *leſtini 2*
Sciſsa nihilominus illi chlamys, *contra*
Renuntiato Pſeudo-Pontifice Cæleſtino. *Honor.*
Viſæ hinc partes certare partibus, ſtudia ſtudiis, *2.*
Quoad Orbis vnum ſub ter gemina tiara agnouit Caput,
Vnum in Honorio Petrum, & Chriſtum.
Præcipuum Pontifici ſtudium,
Non vt columnæ, ac pyramides
Cælum peterent ornandæ Romæ;
Sed vt emineret virtus.
Mores, non moles curæ erant.
Hæc illi tranſmarina marmora,
Indoles, ingenium.
Hæ peregrinæ in ſaxis maculæ,
Nitor animi, doctrinarum ſplendor.
In Hildeberto Cenomanenſi, mox Turonenſi Antiſtite
Muſas adamauit elegantiſſimas;
Poetis oblectatus, non fabulis.
In Vgone Victorino Palladem coluit,

Quam is enatam capite, geſtabat pectore.
Inſignes eiuſmodi mortales
Summus mortalium conquirere, complecti:
Sic dignitati dignitatem,
Honoribus honores addidit Honorius.
Obiit communi cum Orbis deſiderio
Quinquennis Pontifex,
Additusque nouus Laterano ſplendor
A tanto Cinere

AD INNOCENTII SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO CLXIV.

Pont. *166.* *Ann. D.* 1130.

Innocentius Secundus Pontifex Maximus,
E Tranſtyberina Regione Romanus,
Dictus Sacerdos ſummus,
Prius immolare hoſtes, quam mactare hoſtias viſus.
Dum occupare Apuliam tentat,
Ac ſitienloſam eam Regionem ſitit
Rogerius Siciliæ Comes,
Illum fugat, profligatque Innocentius.
At Rogerio adeſt mox Guiglielmus,
Patri filius,
Collatoque cominus pede,
Militantis Caput Eccleſiæ capit,
Traditurque cuſtodiæ Cæli Clauiger.
Expugnat nihilominus Rogerium victus Pontifex!

Ti-

Timetur captiuus:
A Rogerio liber, in Rogerium liberalis:
Quem nequiit armis, vicit munificentia.
Sed truculentius citra cruorem Romæ bellum,
Petri Leonis filius, Leone ſæuior,
Indignus Petri nomine,
In Petri Succeſsorem inſurgit.
Emendicatis nanque ſuffragiis,
In Petri Cathedram inſilit Pſeudo-Pontifex,
E Petro Anacletus.
Pontificium exercet ruina templorum: *Schiſm. 24. Anacleti 2. contra Innocẽtium 2.*
Sacrorum opulentiam vorat, vt in indignos euomat.
Fauet Petro Rogerius, Rogerio Petrus,
Similis ſimili:
Habuitque vtriuſque Siciliæ coronam
A Laruato Pontifice laruatus Rex.
Innocentius impetum declinat fuga.
Galliam petit.
Nempe fugari Petri Leonis catulus,
Niſi à Gallis non poterat.
In Claramontano Concilio
Intorto fulmine, Anacletum ferit.
Armatur interim Lotharii Auguſti religio,
Vt vero Pontifici militet,
Pſeudo-Pontificem mulctet.
Hac fiducia reuertitur in Italiam Innocentius:
Nec ſegnior Lotharius
Alis equitum in Vrbem inuolat.
Patuit Auguſto, paruit Pontifici Roma.
Obſeſſum olim Capitolium
Nunc demum cepere Galli:
Fugatoque Anacleto triumphat Innocentius:
Qui aſſertam ſibi Tiaram,
Romani corona Imperij rependit,
Inaugurato Romæ Lothario.

At

At reuireſcit à vulnere Anacletus, ſecta velut hydra,
Miſcetque iterum Romam,
Fretus Rogerio, qui fretum tranſmiſerat claſſe.
At, qui redit è Germania ſua Cæſar,
Pontifici Iris fuit, hoſtibus fulmen.
Iactatus diù Innocentius
Naufragum vidit, interceptum fato Anacletum,
Functus ipſe vita tranquilliſſimè.

AD CÆLESTINI SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO CLXV.

Pont. 167. *Ann.D.* 1143.

Cæleſtino Secundo Pontifici; Tifernati,
Quem vrna hæc tegit,
Extolli ad rerum apicem, efferri ad tumulum,
Penè idem fuit.
Feſtinato nimis exitu,
Hoc à Pontificatu ſuo habuit, vt rueret altiùs.
Menſes emenſus non ampliùs quinque,
Eodem ipſe tempore elatus Romæ eſt,
Quo Hieroſolymæ Rex Balduinus:
Vni in Occidente, alteri in Oriente
Idem occaſus vitæ contigit.
Auguſtorum Patrum Collegium adauxit,
Vnico partu multiplici fœtu,
Cum fato puerperæ.

Ex-

Extinctum ſinu ſuo excepit Lateranum.
Vel ſummis ipſis Pontificibus
Haud mollius ad longam quietem cubile;
Quàm ſaxum.

AD LVCII SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO CLXVI.

Lucius Secundus Pont. Max. *Pont.*
Romanæ Eccleſiæ breuis lux. 168.
Hoc Soli ſimillimus, *Ann.D.*
Quod intra annum curſum compleuit ſuum. 1144.
Illuxit Chriſtiano Orbi,
Quo tempore luxit in Syria res Chriſtiana,
Deleta Edeſſa.
In tanta rerum clade
Inflammauit in Barbaros Europæ Principes Lucius.
Inerat nempè Lux nomini, ardor animo.
Lucio adfuit clara illa Pharos,
Abbas Claraualleñſis,
Qui vt Occidentem in Orientem concitaret,
Mutuatus à Pericle linguæ fulmina,
Ad grande opus ſumma incendit capita:
Crucem deprædicans,
Vt Aſiam redimeret, & ligno, & ferro.
Synodum deinde Gallicanam cogit Pontifex;
Vt Abailardo occurreret.

Pal-

Palliatus is erat Philoſophus,
Qui Chriſti togam diſcerperet.
Amicus illi Ariſtoteles, non veritas:
Sed præſente Ludouico Rege,
Auſus aperto Marte diſceptare,
Perindè eſt victus, vt ſpolia ipſe tulerit, victor,
Fidem nempè Orthodoxam.
Mutaſſe ſententiam parum fuit; mutauit & habitum,
Ex Ariſtotelico Monachus.
Eremus placuit,
Vt inter animantes dediſceret,
Quod inter homines docuerat;
Ac ſufficerent expiando crimini lachrymas rupes irriguæ.
Interim Lucio ſuus affulſit Heſperus,
Et ſua nox;
Exceptuſque hoc tumulo,
Latet in Laterano.

AD EVGENII TERTII

Tumulum

INSCRIPTIO CLXVII.

Pont. Eugenius Tertius Pontifex Opt. Max.
169. Piſis natus, denatus Tibure,
Ann.D. Vbi Sardiniam reperit:
1145. Extinctus nempè, dum per ſalubres Cæli hauſtus
Vegetare à curis ſpiritum putat.
E D. Bernardi diſciplina, atque ab eo Abbas.

In-

Inſtillare Alumno ſuo ſuum mel potuit
Burgunda hæc Apis.
Pendentibus diù Patrum ſuffragijs,
Extra Auguſtum Senatum quæſitus,
Auguſti Senatus Princeps fuit.
Lux vitæ, & morum
Omnium oculis expoſuit Eugenium.
E Cucullato Pontifex,
Pontificem induit. non exuit Monachum.
Dum ſtant pro Senatoribus Romani,
Eorum vota, ac minas fuga luſit.
Excepere Sabini:
Hoc vno viſi nunc rependere
Suarum Virginum raptum.
In Farfaræ monaſterio inauguratus,
Senatores ſua mox auctoritate ita fregit;
Vt exauctorauerit.
Reuocatus Romam, iterum fugit:
Romanorum dedecus, non Pontificis, fuga hæc fuit.
Profugus de Aſiæ triumphis cogitat.
Gallos excitat, vt ſua ipſi trophæa canerent in Palæſtina.
Nil facilius Eugenio fuit,
Quam Ludouicum Regem ſanctiſſimum
Ad plena ſanctitatis loca impellere.
Venerare hic conſilia Numinis:
Luſus, læſus primùm Ludouicus
A Græca Cæſarum fide.
Mox hoſtibus circumuentus,
Inter Arabum exuuias numeratur,
Erectus mente, ac liber, vel captiuus.
Eugenius hiſce infortunijs maior,
Inflammare Principes pergit.
Palmas nempè ſi vellent, eas naſci trans maria.
Reuerſus demum Romam, excipitur inſigni pompa,
Quam excepit mox pompa funeris.

E Tibure in Vaticanum transfertur nouennis Pontifex,
Ne vel mortuus quieſceret,
Cui nulla ſuperſtiti quies.

AD ANASTASII QVARTI

Tumulum

INSCRIPTIO CLXVIII.

Pont. 170. *Ann.D.* 1153.

Poſt magni documenta animi, poſt publica rerum
Munera, mente graui, populorum & plauſibus acta,
Fulget Anaſtaſius triplici diademate, mundi
Atlas, Romanæque Parens ter maximus Vrbis.
Fulguris in morem at fulſit, fugitque: ſimulque
Sublimis fuit, & præceps: è culmine Petri
Pronior in tumulum lapſus, breuis Arbiter Orbis.
Voluebat magnas Romano in pectore curas;
Iamque Palæſtinam, iam barbara regna Canopi
Terret: iam mores hominum, trabeataque Roma
Prænitet, & cultæ fulgent iam pulchriùs aræ.
At fatum hæc prohibet: curas cum pignore ſacro
Intulit in tumulum, tenuique hac condidit vrna.
Surget Anaſtaſius, communis anaſtaſis olim
Cum volet: excuſſo viuent tunc puluere Manes.

AD HA-

AD HADRIANI QVARTI
Tumulum
INSCRIPTIO CLXIX.

Hadrianus Quartus Pont. Max. *Pont.*
Non hic totus latet: 171.
Magnam quippe eius partem *An. D.*
In hiſce literis ita legis, vt penè videas. 1154.
In Anglia cunas habuit;
Sed maior Anglia,
Maius extra natale ſolum theatrum voluit.
Noruegiam inermis Chriſto vicit.
Pro copijs fuit illi dicendi copia.
Gentem illam velut in triumphum religione religauit,
Catenas mutuatus ab Herculis lingua.
Fide diſſeminata, meſsuit ſibi honoris Inſulas,
Euectus ab Eugenio ad Purpuram,
Ab hac Pontifex.
Inſigniri verò Tiara ſua noluit,
Niſi excederet ab Vrbe Arnoldus.
Hærebat is Romæ, Romano licet a corpore diſciſſus.
Faceſsere oportuit,
Ne diei fauſtitatem, ac lucem inceſtaret Tenebrio.
Conſules deinde à ſumma rerum deturbat.
Eſse ſuas Pontifici ſecures,
Ni ſecures ipſi ſuas, ac faſces abiecisſent.
Saperent: vterentur conſilio Conſules.
Maieſtate, nutu vicit.
Cum Friderico Cæſare, quòd certare armis nequiret,
Beneuolentia certauit.
In Vaticano illum templo aureo donauit diademate.

Aureus hic fuit tantùm vertice, cætera ferreus:
Latuit nempè pretioſo ſub capite mens improba.
Rixari & cum Guiglielmo, Trinacriæ Rege oportuit.
Succeſſerat is Rogerij non pietati, ſed ſceptro.
A ſua Charybdi rabiem hauſit:
Adlatrare Eccleſiæ cæpit,
Captiſque Vrbibus, etiam admordere.
Regem Pontifex vicit beneficijs,
Collato vtriuſque Siciliæ titulo.
Quæ regna diuidit fretum,
Sine ponte iunxit Pontifex.
Qui carperet Petri patrimonium Guiglielmus,
Eſſe cæpit ſtipendiarius.
Graue à gemina corona caput,
Acclinari facilè ad Pontificis pedes potuit.
Verùm turbata iterum re Romana,
Tranquilliorem ſe ſe in ſtationem aſſeruit Hadrianus,
Vita functus intra annum Pontificatus quintum,
Tenuitque Olympum, expleta nondum Olympiade.

AD ALEXANDRI TERTII

Tumulum

INSCRIPTIO CLXX.

Pont. 172. *Ann.D.* 1159.

Alexander Tertius Pont. Max. Senenſis,
Iactatus diù pelago, ac penè naufragus,
Hic tàndem portum tenuit, ſecurus ſui!
Chriſtiani Orbis theatrum inijt

Non ſine antagoniſta.
Luctari nanque auſus cum vero Pontifice Pſeudo-Pontifex.
Tenus nomine hic Victor. *Schiſm. 25. Victoris & contra Alex. 3*
Cæterùm Alexandris datum vincere.
Aequa Alexandri cauſa Deo placuit:
Iniqua Victoris Friderico Cæſari.
Dum hic Italiam miſcet,
Gallos petit Succeſſor Petri.
Claramontano Concilio indicto,
Gallicas inter niues procudit fulmen,
Quo, & Cæſarem, & Victorem petit,
Summos nempe montes.
Euocatus Romam Alexander.
At non illi ſua in Sede quies.
Fuga iterum dilabitur,
Incubante videlicet in Vrbem Friderico,
Vt Eccleſiæ caput diuexaret
Diſciſſum ab ea membrum.
Dum fugit,
Triremes Guiglielmus, Rex Siciliæ commodat,
Ventos Numen.
Tument vela, ceu, vectore Pontifice, ſuperbiant.
Qui Cæſaris arma terra, marique declinabat,
Venetijs pacem reperit.
Sub ipſum inclyti Leonis conſpectum
Manſueſcit Germanus Draco:
Pedes exoſculatur, & Alexandro, & Petro.
Nempè ſi capiti ſuo coronam vellet,
Deuenerari eos pedes debuit.
Rixandum item illi cum Romanis fuit.
Non bello, ſed comitate vicit,
Romanus Alexander.
Vt tranquillitati publicæ conſuleret,
Conſules admiſit.
Per Europam verò dum vagatur,

Res

Res etiam Aſiæ curat.
Nimiùm torquet captiua Chriſti Crux:
Nimiùm ſepulcrale illud marmor premit.
Romæ Thomam Cantuarienſem, per vulnera laureatum,
Diuorum intulit Faſtis,
Mulctato Henrici crimine:
Vt contigerit vni decus, alteri probrum.
Poſt Pontificatum, æuo, ærumnisque diuturnum,
Quieſcit hic Maximus Pontifex,
Aeternùm quieſcet in ſinu gloriæ,

AD LVCII TERTII

Tumulum

INSCRIPTIO CLXXI.

Pont. Iacet hic
173. Lucius Pontifex Lucæ natus.
Ann. D Non illum hæ tumuli tenebræ vnquam inumbrauerint.
1181. Carere non poteſt luce
A ſuo, à Patriæ nomine:
Videturque ab hiſce ſplendoribus
Præcelſa mundi Pharos.
Sub id tempus conſalutatus Orbis Pater eſt,
Quo Andronicus Iſacij nepotis parricidio
Per ſummum ſcelus ſummum ſibi quæſiuit imperium.
Altor, atque alter Auguſti Pueri Pater,
Vt ad Conſtantinopolitanos faſces velificaret,
Vectum cymba ad laxamentum, mergi nepotem iubet:
Se-

Sereno nempè Cælo, atque vndis criſpantibus,
Quæ iraſci tanto ſceleri debuiſſent.
At nullibi non tempeſtates excitat ſceleſta mens.
Merſo Iſacio,
In Latinos tempeſtatem mouet Andronicus,
Græcus Phalaris.
Angitur Lucius, patrari hæc in noua Roma,
Qui mox à Roma ſua exulat,
Turbis in Vrbe excitatis.
Parthorum ritu fugiendo is tela iacit,
Excitato Veronæ Concilio,
Vt vindicarent Patres Patrum Patrem.
At ſua maior ærumna Pontifex,
Id maximè hoc in Conuentu agitat,
Vt Arabes exagitet in Palæſtina.
Europæi Principes,
Dum mutuis inter ſe ſe odijs rixantur in Aſia,
Barbaris militant:
Suoque ſe confodiunt gladio.
Concordiæ ſtudet Lucius:
Cur iucundum hoſtibus theatrum aperirent
Præpoſteri athletæ?
Quæ hæc Thracibus triumphorum materia?
Cur ijs trophæa erigerent ſuo caſu?
Hortatur, declamat ſtrennè:
Sed in conatu ipſo deficit:
Legatque Veronæ exuuias,
Cælo ſpiritum,
Quarto Pontificatus anno.

AD VR-

AD VRBANI TERTII

Tumulum

INSCRIPTIO CLXXII.

Pont. Interceptus fato extra Vrbem
174. Vrbanus Pontifex Tertius, Mediolanenſis,
Ann.D Ferrariæ ſpiritum poſuit:
1185. Habuitque ab Heliadum electro
Nobilem ſuo funeri lachrymam.
Ardente in Aſia ſacro bello,
Acriùs inter ſe ſe Chriſtianorum Principes,
Quàm in Barbaros inibi certant.
Piorum manibus cædunt Arabes;
Illorum diſſidia, horum trophæa erant.
Mutuo illi Marte pugnant, hi triumphant.
Fax illa diſcordiarum Vrbanum coquit.
Hoc verſat magnanimum pectus,
Qui Principum pectora, ac dextras nectat.
Armorum ſtrepitus audiri Pontificis verba non ſinit.
Si quæ hortamentorum flamma eò literis euolaret,
Tot maria emetienda reſtinguebant.
Hinc Saladino fortuna belli:
Hinc captiui Reges, captæ Vrbes,
Atque ipſa Vrbs vrbium Hieroſolyma.
Quamuis extra ictum inclytus Godefridus,
Inflictum tamen illi luculentum vulnus,
Erepta à Barbaris Palæſtinæ Metropoli,
Quam ante annos vndecies octonos.
Eripuerat ipſe à Barbaris.
Indoluit cladi Vrbanus.
Excitando in præferoces Aſiæ belluas magnanimo Leoni,
Aeſtu

Æſtu ſuo fertur ad Venetorum æſtuaria.
Eundo à mœrore moritur.
Dum impetrare roſtratam claſſem cupit,
Velificat ipſe ad Empyreum.
Terreſtri Hieroſolyma capta, ad cæleſtem tendit,
Principatus biennio non dum expleto.
Tantum Pontificem inuidit Tyberi
Fluuiorum Rex Eridanus,
Ferrariæ conſepultum.

AD GREGORII OCTAVI

Tumulum

INSCRIPTIO CLXXIII.

Gregorio Octauo, Pontifici Max. Beneuentano, *Pont.*
Cuius hoc marmor Manes ornat, 175.
Ornandæ Eccleſiæ, Solymæ aſſerendæ, *Ann.D.*
Æuum defuit, non animus. 1187.
Vaticano colle vix inſedit,
Cum Golgata, & Thabor, preceſſi montes,
Meridianis alter tenebris,
Alter circumfuſo Chriſti iubare inclytus,
Erexere ad Paleſtinæ palmas eius animum.
Europæ Principum,
Hos literis, legatis nempè mutis,
Hos Legatis, facundis nempe literis, compellauit.
Trans maria abire, hoc eſſe ire ad aſtra.
Immortalia fore ea arma,

Quæ Chriſti tumulo militarent.
Nihil eo ſanguine pretioſius,
Qui tam propè ad morientis Dei ſanguinem accederet,
Miſceretque cum eo purpuram.
Piſas etiam adire non dubitauit;
Vt compoſita cum Genuenſibus ea Gente,
Fœderatis aquilonibus,
Decertarent in barbaros diſſidentium claſſes.
Dum alios ad pulchrum opus animat Pontifex,
Concidit ipſe exanimis.
Pontificatus bimeſtre magna indole æquauit luſtra.
Tulit ad tumulum debellandæ Aſiæ votum.
Inſpiratque nunc è cinere poſteritati
Fortes, ardenteſque animos.
Ad trophæa Paleſtinæ.

AD CLEMENTIS TERTII

Tumulum

INSCRIPTIO CLXXIV.

Pont. Clemens Pontifex Tertius, Romanus,
176. Cognomento Scholaris,
Ann. D. Non id in ſcholis didicit, vt mortem luderet.
1188. Splendidè quieſcit in Laterano hoc templo,
Quod ipſe muſiuo opere exornauerat.
Vt habenas Chriſtiani Orbis ſuſcepit,
Ferri in Palæſtinam viſus:
Idque illi potiſſimum curæ,

Eu-

Europęæ Virtutis florem
Vindicandis Gethſemani hortis eò mittere,
Ac Tiberiadis mare ſubijcere Tiberi.
Auguſtæ Friderici Aquilæ vngues exacuit.
Guiglielmo Siciliæ Regi à ſubdita Æthna faces ſubdidit.
Cum Philippo Galliæ Rege Gallicus Hercules fuit
Aurea vi linguæ.
Riccardum Britanniæ Regem
E Caledonia ſua ad Aſiæ belluas edomandas exciuit.
Sarmatas ſub ipſo glaciali ſydere
Ad grande opus incendit.
In Venetorum, Piſarumque claſſibus
Viſæ adnauigare turritæ ſyluæ.
Pro remigio, pro velis Clementis nutus erant.
Ab hoc armorum fœdere conflatus turbo,
In Ptolemaidem primò incubuit.
Barbarorum multitudine
Victoriam Saladinus diſtulit, non abſtulit.
Interim cum Tancredo etiam Pontifici res erat.
Vſurpata is Sicilia, iura Eccleſiæ vſurpauerat.
Detonuere in Trinacria bella.
Vbi tam prope Cyclopes erant,
Deeſſe fulmina non poterant.
Sed ab armis citò rediit ſua Clementi manſuetudo.
Ornare Clericorum moribus Romam inſtituit,
Inductaque templis à picturis, à marmore iuuentus.
At propulſare ſuum ſenium qui nequiit,
Intra quartum Principatus annum exuit mortalitatem.
Nec breue illi imperium,
Cui faſces, ac æuum extendit virtus,
Ac fama nominis.

AD CÆLESTINI TERTII
Tumulum
INSCRIPTIO CLXXV.

Nihil hic Parij marmoris
Pont. Cæleſtini Pontificis Tertij
177. Memoriæ cohoneſtandæ.
An. D. Quæ ſupra tumulum eſt virtus
1191. Infra ſe putat honorem tumuli.
Quid ſepulcri moles cum immortalitate virtutis?
Cæleſtino Roma dedit cunas;
Romanam Sedem ipſe ſibi vitæ laude allaborauit.
Septenos inter colles educatus, nil habuit humile.
Tancredum notæ virum ignauiæ,
Rogerij nothum,
Deturbare è Siciliæ Regno ſtuduit:
Hinc dicatam Deo Virginem
E Cœnobio in connubium extrahis.
Detonſa olim ad Dei ſeruitium coma,
Subcreuit mox Conſtantiæ ad Regni coronam,
Henrico Cæſari Sexto nubit
Dei Sponſa.
Hæreditariam, dotalemque Trinacriam
Hic illi thalamus peperit.
Mutat Auguſta Sanctimonialis mores.
E Gynæcêi vmbra in Solem, & puluerem euocatur;
E pſalmodia ad choros caſtrorum:
Habitu, cultuque Reginæ, vt ſeruiat ſcenæ.
Res interim Aſiæ ferro, auroque vrget
Acerrimus Pontifex.
Dignata inambulante Deo Loca

Teri

Teri barbarorum veſtigijs, quid turpius?
Arabes, Thraces equos
Nobilem lauacro Numinis Iordanem combibere;
Quid indignius?
Vita functo Saladino,
Viſæ Chriſtianorum ſpes rediuiuæ:
At cadente Cæleſtino, mox concidère:
Septennis Pontificis excepit exuuias Vaticanus;
Nullum magnificentius,
Quàm ad Petri cineres ſepulcrum.
Alta hic illi quies.
Petri gallus hunc ſomnum nunquam abruperit.

AD INNOCENTII TERTII

Tumulum

INSCRIPTIO CLXXVI.

Innocentius Tertius Pont. Max.
Ex Signiæ Comitibus,
Hic ſitus eſt. *Pont.*
Iniuriam tumuli 178.
Lux famæ vindicat, decus nominis. *Ann. D*
Mens illi, ac pectus quantæcumque rei capax. 1198.
Simul Europam, ſimul Aſiam complectitur curis ſuis.
Elato Henrico Cæſare,
De Romano imperio digladiantur
Otho Saxon, & Hetruriæ Dux Philippus.
Innocentius litem Saxoni adiudicat ſuo calculo:

Or-

Ornauitque Romæ merito auro cæſariem Cæſaris.
Etſi, quæ contulit Pontifex,
Suâ mox Othoni abſtulit contumacia:
Exutuſque Imperio eſt,
Expoliare dum audet Romam ſuis opibus.
In Aſiam deinde peracri ſtudio fertur Innocentius,
Affixus licet Romæ.
Captiua Chriſti vrna
Quædam erat illi ſcatebra lachrymarum:
Chriſtianorum à barbaris ærumnæ
Egregium pectus conuulnerabant.
Nec leue illi prænobilis Regionis iugum.
Igitur ardore Pontificis
Excitata Principum virtus, & flamma gloriæ.
Viſa roſtrata Claſſis
Ferre immixtos aquilonibus africos,
Vt tempeſtate vel in terris excitata,
Mergerent ſuo in cruore Arabes.
Addidit mox grauiſſimæ expeditioni momentum
Lateranenſi Concilio.
Coronam Patrum adauxere coronæ Principum.
Velùti de vniuerſo terrarum orbe conſulerent,
Adfuit Orientis, atque Occidentis Solis Cæſar.
Adfuere Reges,
Hiſpanus, Gallicus, Anglus, Cyprius, Hieroſolymitanus.
Conuentus is erat ſyderum maximorum,
Vt decumana depluerent in Barbaros mala.
At præcidère tranſmarina hæc conſilia
Maritima inter Genuenſes, & Piſanos bella:
Quæ quidem de Pontifice ipſo triumpharunt.
Conceptus ſiquidem à præclari operis mora mœror,
E viuis illum abſtulit,
Principatus anno vndeuigeſimo.
Sapientiſſimus planè Pontifex,
Regnandi artibus, artium pulcherrimarum præſidijs
Cum

Cum paucis inſtructus.
Grauia ſcripſit non leui calamo,
Sua ſuperſtes in eruditione, ac ſtylo.
Vt ſplendidè exciperentur mortalium infortunia,
Romanum S. Spiritus Noſocomium excitauit.
Diuis templa, templis cultum aſſeruit.
Defunctum ſua peregrinatione,
Excepit hoſpitalis hic lapis.
Conceſſa nunc quies cineri, negata olim magnæ menti.

AD HONORII TERTII

Tumulum

INSCRIPTIO CLXXVII.

Honorij Tertij Optimi Pontificis
E gente Sabella,
Exuuias vrna hæc habet: *Pont. 179.*
Mens, ſpiritus, magni animi indoles Cælum tenent. *Ann. D. 1216.*
Romanum hunc Pontificem ipſa ſibi peperit Roma,
Educauitque ad Chriſtiani Orbis faſces.
Principatum auſpicari ab honore Principum
Honorius debuit:
Petrum ſiquidem Conſtantinopolitanum Cæſarem
Solenni ritu inaugurauit,
Laureauitque in Diui Laurentij templo.
Ad terras deinde Dei cunis, ac ſepulcro nobiles,
Curas appulit ſuas.
Florentiſſimis copiis Solymam petit.

Com-

Complecti illam armis cupit, non perdere.
Tantæ expeditioni Columnam Cardinalem deſtinat.
Non inſolens, agmina ducere Columnas.
E priſcis ijs Columnis
Alteram nunc in Romano Principe videt Aſia,
Nempe igneam:
Nam nubes aberat à claritudine virtutis, ac generis.
Illud etiam mirum:
Tranſmarinam velificationem vetuit olim Herculis Columna:
Nunc ipſamet Columna trans mare nauigat.
Iunctis etiam armis,
Ad gelidum extincti Numinis marmor
Exarſere Vngarorum, Gallorumque animi.
Hinc capta Heliopoli, fugaro Sulthano,
Potiri facilè Iordane poterant,
Niſi egreſſus ripis ſuis Nilus,
Vndis, non igne, aut ferro,
Pro barbaris pugnaſſet.
Territo naoqne ab inſolito hoſte Chriſtiano milite,
Mille ſibi viſæ ſunt è ſeptem Nili Oſtijs
Armatæ Cocodrilis phalanges erupiſſe.
Fuit & quod in Europa Honorius vinceret,
Nempè Fridericum Cæſarem,
Qui diteſcere dotalibus Chriſti Sponſæ opibus cùm vellet,
Per Italiæ latus Eccleſiam,
Per Eccleſiæ latus Italiam conuulnerabat.
Hinc Romano percuſſus fulmine,
Atque è Solio deturbatus Auguſtus Lucifer.
Quo tempore ad Perſiæ, Mediæ, Armeniæ, Aſſyriæ cladem
Non Africa, ſed Scithia Monſtra illa peperit,
Nempè Tartaros.
Ad Mæotidem paludem inſedere,
In qua mergi debuiſſent.
In turbulenta adeò tempeſtate ſerena Honorio mens.
Templa Romæ inſtaurat, inaurat.

Ec-

Eccleſiam ornat legibus,
Scriptis Decretalibus, vt vocant, Epiſtolis.
Chriſtianos Hercules Franciſcum, Dominicum,
Suſtentando Laterano datos,
Excipit peramanter.
Vt oſtenderet,
Quo in pretio habenda eorum Inſtituta eſſent,
Signat anulo.
Prolixiùs decennio viuere
Sanctiſſimus Pontifex debuit.
At dum moritur, vetat mori morum ſanctitas.
Excepere terræ motus tantum funus:
Deerat nempè terrarum columen.

AD GREGORII NONI

Tumulum

INSCRIPTIO CLXXVIII.

Venerare, quiſquis es, in magno Cinere *Pont.*
Gregorij Noni Max. Pont. 180.
Nomen, indolem, Infulam. *Ann. D*
Ab inclyto Comitum genere Innocentij Tertij nepos, 1227.
Sua niti virtute voluit, non ſuorum.
Creatus Romæ Pontifex,
Mente ſtatim in Palæſtinam euolauit,
Vt à cruentis barbarorum manibus
Chriſti ſanguine imbutas terras eriperet.
Fridericum execrandi nominis Cæſarem,

Militare ſacræ expeditioni iubet,
Vt tot ſua crimina expiaret cruore Arabum.
At non is arma religioni addiceret,
Quæ humanis cædibus ſaginauerat.
Princeps illi cura,
Chriſtum in ſuo Pontifice diuexare,
Ac triumphalem tot Martyrum Coronis Eccleſiam
Sub iugum mittere.
Armat ſe ſe fulmine Gregorius,
Romanoſque montes Gygantis huiuſce tumulo deſtinat.
Hinc Chriſtianis illum diris deuouet;
Et qui parère Pontifici detrectabat, Imperio exauctoratur.
Et ſi auguſta exutus dignitate,
Ardentiùs emicauerit dirus hic anguis.
Hoc Pontifice,
Audita primùm infanda ea nomina,
Gibellini, Guelfi.
Exarſere odia hac teſſera diſcordiarum:
Sub his ſignis Eumenides, Gorgones militarunt:
Hoc cognomento perſonatus Herebus,
Quas non edidit per Orbem ſtrages?
Portentis hiſce occurrit Pontifex,
Centuriatis ad præſidium recentibus Diuis.
Franciſcum Aſſiſinatem conſecrat.
Egregium hunc eſſe Ducem, ac militem,
Aduerſa oſtendunt vulnera.
Aſſeruit & Cælo Dominicum,
Vt ſuo cane, ſuorum declamationibus
Romanæ rei excubaret.
Antonium etiam Patauinum ſolenni apotheoſi inaugurat.
Non vnus hic, ſed acies erat:
Sæpe congeminatus, non vno militat ferro.
His addidit è Pannoniæ Regibus Eliſabetham,
Nempè maris animi ſanctiſſimam Heroinàm.
Adaucto Cælitũ Conciſio, terris Lateranũ Concilium indicit:

Vt de acerrimo hoſte Friderico Patres decernerent.
At is præcluſo mari, ac terra,
Tantum opus omni ope conatur ſiſtere,
Mancipata cuſtodiis non vna purpura,
Ceu Chriſti ſitiret ſanguinem,
Quem in purpurea Patrum toga cerneret.
A Concilii mora deproperata Pontifici mors eſt,
Abſtulitque è viuis intimus mœror,
Non ſine Cæli luctu,
Quem Solis tùm deliquium oſtendit.
Poſt quintum decimum Pontificatus annum,
Ac labores decumanos,
Vt quieſceret actuoſior Pontifex,
Excepit hæc vrna cineres.

AD CÆLESTINI QVARTI

Tumulum

INSCRIPTIO CLXXIX.

Inclyta cui Cælum ſua nomina mutuat, illum *Pont.*
Exanimem modico in puluere condit humus. 181.
Nam Cæleſtinus iacet hic; laus integra gentis *An. D.*
Caſtilioneæ, lumen & Inſubriæ. 1241.
Euectus ſenio Romana ad ſceptra profundo,
Romana haud potuit ſceptra tenere diù.
Dinumerant annos alij; hic ſed fractus ab annis,
Vix potuit paucos dinumerare dies.
Scilicet, haud menſem Imperio metitus, ad aſtra

Viſus præcipiti deproperare gradu.
Nam Patriæ monitus, Cælique à nomine, Cælo
Se citiùs poſitis miſcuit exuuiis.
Faſcibus, & mundi par curis, indole grandi,
Grandiaque aſſuetus voluere mente graui;
Dum furit, & ſacram Fridericus territat Vrbem,
Hic poterat rabiem perdomuiſſe trucem.
Fila ſed immites vitæ abrupère Sorores,
Heu citò: vix Solium ſcandit, & vrna tenet.

AD INNOCENTII QVARTI

Tumulum

INSCRIPTIO CLXXX.

Pont. Innocentij Pontificis Quarti
182. Æquè cineri, ac immortalitati
Ann.D. Monimentum hoc ponimus.
1243. Fliſca is è gente Genuenſis
In publica Orbis Orcheſtra
Suas egregiè partes egit, theatrum ſimul, & Roſcius.
Præaltum Eccleſiæ Solium
Inſigni priùs virtute, ac ſapientia conſcendit,
Quàm votis Patrum.
Romanus Cæſar Fridericus
Primus Innocentij labor fuit.
Non ita adgubernare Petri nauim
Sciens marium Ligur potuit,
Quin in hunc impingeret ſcopulum,

At

At infractus ipſe, viſus vel ipſum fregiſſe ſcopulum.
Indicto ſiquidem Lugdunenſi Concilio,
In tanta Patrum celebritate, ac luce
Latere probra improbi Cæſaris noluit.
Hinc fulminatrix eius Aquila
Anathematis fulmine percuſſa.
Hinc diuulſum gemino è capite diadema,
Exauctoratuſque Fridericus.
Neque hæc ſatis.
Armis ad Parmam profligatus,
Malo ſuo agnouit,
Geminum gladium ſub Pontificia latere chlamyde.
Debellato Cæſare,
Ludouicum Gallorum Regem,
Cui æquè pia arma, atque armata pietas;
In tranſmarinas impulit terras,
Vt ferro redimeret Redemptoris tumulum.
Is verò, vbi Auguſtorum Senatum Patrum auxit,
Addita etiam galeri purpura,
Nouis Cælum Quiritibus,
Nouiſque adauxit purpuris.
Admouit nempè Romanis aris
Immolatas olim illuſtres victimas,
Stanislaum, & Petrum:
Habuitque, qui magnam deinde animam
Cælo grati reciperent.
Iam, quòd Friderico nouum ſucceſſerat monſtrum,
Manfredus;
Accurrit ſua claua vittatus hic Alcides Neapolim,
Vbi Herculeos poſt labores tandem quieuit:
Excepitque magnos Manes ſuo in templo Laurentius:
Ratus, ſuis deberi flammis
Flagrantiſſimi Pontificis Cineres.

AD ALE-

AD ALEXANDRI QVARTI
Tumulum
INSCRIPTIO CLXXXI.

Pont. Alexandrum Quartum Pont. Max.
183. Æternis literis marmor hoc repræſentet,
Ann.D Vt corrupta à morte externæ frontis ſpecie,
1254. Extet hic imago, atque idea mentis.
E prænobili Comitum genere Anagniæ natus,
Tertio Chriſtiani Orbis Principatu
Ter magnam reddidit ſtirpem ſuam.
Pontifex inauguratur,
Ac princeps illi cura Manfredo aures vellere:
Neque inſolens Petro aures petere,
Ac monere officij.
Acriùs deinde agit Eccleſiaſtico fulmine,
Vt hunc ipſum mulctet minitantem Cælo Enceladum.
In alios mox inſurgit Italiæ Tyrannos,
Ezelinum, Albericum, Vbertum:
Gratulatus, mergi ſanguine, quem ſitiuerant,
Cruenta hominum monſtra.
Abacta Italica hac tot capitum hydra,
Vt inter Idumæas triumpharet palmas,
Palæſtinam cogitat.
A ſepulcrali Chriſti marmore
Simul molleſcere pietate pectus ſenſit,
Simul exacui in Barbaros, veluti ad cotem, iram.
Sed Veneto, ac Ligure pugnatiſſimè decertantibus,
Profana arma ſacrum bellum diſtulere.
Roſtratæ, inſtructæque remigio alarum naues,
Ceu præliares Aquilæ,

Mu-

Mutuo ſe ſe petunt fulmine, diſcerpuntque.
Vel in pacato mari naufragantur:
Scilicet, ipſæmet ſibi tempeſtas, procella, turbo.
Inclytas Reſpublicas
Dum componere fruſtra nititur Alexander,
Per ea bella victus ipſe mœrore, ac fato eſt,
Intra principatus ſeptennium elatus.
Antequam diem clauderet ſuum,
Cæli meridiem adauxit D. Claræ Apotheoſi.
Et ne quid in præclarum nomen
Auderent oblinionis tenebræ,
Immortalem ſibi quæſiuit lucem
A Clara Virgine.

AD VRBANI QVARTI

Tumulum

INSCRIPTIO CLXXXII.

Quem vides hic è marmore vittatum, chlamidatum, *Pont.* 184.
Supremus olim Paſtor fuit. *Ann. D* 1261.
Vicaria Petri cymba
Facile fuit Lethem tranſmittere ad Elyſios.
Vrbanus Quartus is eſt, Pontifex M. Trecenſis,
Pater illi Sutor veteramentarius:
Si cunas ſpectes, ſi faſcias, nihil infra:
Si Solium, ſi faſces, nihil ſupra.
E cerdone patre Pater Orbis:

Ter-

Terræ filius, terras, & Cælum rexit.
Res illi cum Manfredo Gibellino fuit.
Vna Guelfis ara Sacerdos hic ſummus.
Superbiſſimum Regem vt frangeret,
Vtramque pollicitus Siciliam,
Carolum Andegauenſem euocat in Italiam.
Spes illa Regnorum alas addidit:
Inceditque Gallum, hinc Ætna, hinc Veſuuius,
Vt Alpium niues ſuperaret Neapolitani Regni candidatus
Cecidit fauſtè res hoſtis caſu.
Collatis nanque ſignis,
Alea belli Manfredum luſit.
Ad Vrbani verò laudem præclarum illud:
Agno Euchariſtico,
Qui ſub niueo latet vellere,
Publica decreuiſſe ſolennia.
Vrbano debemus deambulans triumphali ritu Numen:
Illi anniuerſariam eam pompam,
Quam Deus ipſe latitans proſpicit,veluti per cancellos.
At dum molitur magna,
Deſinit viuere triennis Pontifex.
Defuit illi vita,
Qui non ſibi, non Principatus ſui curis defuit.

AD CLEMENTIS QVARTI Tumulum INSCRIPTIO CLXXXIII.

Ne quære hoc in tumulo Clementem Quartum: *Pont.*
Vix vmbra hic ſupereſt, 185.
Quam nihilominus clarat virtus inclyta. *Ann. D*
Non ſat Galliæ, dediſſe puero cunas; 1265.
Aluit deindè ad vbera doctrinarum:
A quibus perindè excreuit,
Vt inter doctiſſimos æui ſui viros ipſe maior.
Coniux olim, & Pater,
Sponſam deinde mutauit, & ſobolem,
Renuntiatus Epiſcopus Narbonenſis.
Quam Inſulam purpura mox prætexuit:
Dictus deindè vel abſens Pontif. Max.
Peregrinatur nempè ad illum ambitioſè honor;
Tantùm abeſt, vt anxiùs expetiuerit.
Accerſitũ in Italiã ab Vrbano Quarto Carolũ Andegauenſem,
Regem Neapolitanum Clemens Quartus inaugurat.
Hoc Manfredum fræno coercet,
Qui calcibus Eccleſiam impetebat.
Terruere Galli Leonem hunc præferocem,
Eoque mox diſcerpto,
Pacem reperit Eccleſia,
Ceu mellificauerint in extincti ore apes.
Nactus pacata dein tempora Optimus Pontifex,
Sua virtute, Maiorum legibus
Chriſtianum Orbem format, ornat.
Ne ſanguine molleſceret generoſum pectus,
Abeſſe conſanguineos iuſſit.

KK Co-

Cognatione proximos procul habuit.
Circumfluentibus Eccleſiæ diuitijs, Tantalus fuit nepos.
Neque eas eſſe voluit neptes,
In quarum ſinum aliquid implueret Chriſti auri.
Scilicet, nepos, neptis pauperes illi erant:
Aridam hanc tellurem irrigat lubentius
Aureus Chriſti imber.
At ſapientiſſimè dum regnat,
Subeſſe fato oportuit.
Breuis æui Pontifex,
Menſuram nominis non implet,
Tertio ſiquidem Principatus anno moritur.
Deſiderii, ac mœroris teſtes fuere Italiæ lachrymæ:
Quas Ille exſiccauerat,
Reſtituta populis tranquillitate.

AD GREGORII DECIMI

Tumulum

INSCRIPTIO CLXXXIV.

Pont. Piis Manibus
186. Gregorii Decimi Pontificis Maximi
Ann.D. Poſitus hic è marmore tumulus:
1271. At magnæ animæ in ipſo æternitatis ſinu quies.
In Tranſpadana Italia Placentiæ natus,
Nulli vnquam à laude morum diſplicuit.
Placuit vero vſque adeò generoſior indoles,
Vt tranſmarina licet in Ptolemaide longè abeſſet,

Ap-

Appellatus Pontifex fuerit.
Pendente vrna diutiùs,
Certauerant ſupra biennium Patres:
Nempè non vnius tantùm anni opus
Tantus Pontifex erat.
Plures deſudâre Soles debuêre, vt rem perficerent.
Quæſitus ab Aſia Gregorius,
In Europam ſtatim velificat,
Ac viſi Patrum moram compenſaſſe ſubindè venti.
Venientem Siponti excipit Carolus Andegauenſis.
Antequam fulgeret vertice tergeminum diadema,
Vidit is pedem alliambere Neapolitani Regis coronam.
Ritè inauguratus,
Diuulſam Italiam pace nectit.
Publicæ Religioni mox conſulit,
Indicto Lugdunenſi Concilio.
Simul hic Latini, & Græci fœdus inſtaurant.
Simul bellum in Barbaros renouant iurati Principes.
Vtrumque Chriſtiano Orbi opportuniſſimum,
Pax illa, & hoc bellum.
Pontificum deinde Comitijs præſcripta ratio,
Ne mora diutius vrna,
Plus æquo à capite laboraret Chriſtiana Reſp.
Publicis hiſce defunctus rerum momentis,
E Gallia dum redit, Aretij defunctus vita eſt.
Quadriennem ſi ſpectes Inſulam,
Hoc in Sapientiſſimo Principe deſideraſſes,
Sydera conſluentia.

AD INNOCENTII QVINTI
Tumulum
INSCRIPTIO CLXXXV.

Si neſcis,
Pont. 187. Ann. D. 1276. Maximum Pontificem exigua vrna hæc condit.
Scilicet, hoc reliquum ſummis, infimis,
Poſthumus lapis.
Innocentius Quintus hic eſt, Burgundus,
E Petro Tarantaſio Petri ſucceſſor.
Inclyto Dominici Ordini mancipatus,
Stertere inerti ſomno non poterat,
Quem latratu ſuo Canis excitabat.
Hinc è nocturnis vigilijs doctrinarum ſplendor.
Ingenio reſpondit virtus, virtuti honor.
Vectus ad Vaticani culmen, auriga ipſe terrarum, ac ſyderum.
Quod tantùm diſſidia animorum, ac bella noceant,
Innocentio princeps cura, pax fuit,
Hinc Piſis Florentia,
Hinc Venetis infeſti Ligures,
Mutuis ſe ſe telis per latus Italiæ confodiunt.
A roſtratis claſſibus, copijſque veliuolis,
Quod erat pelagus, populoſa videri tellus poterat.
A cæſorum ſanguine,
Quod erat tellus, ceu pelagus fluctuabat.
Tot motibus componendis
Non vnum per Italiam Galeratum legat Mercurium;
Suum cuique Caduceum non ſine Iouis fulmine:
Vt quos non flecteret Caduceatoris facundia, minæ frāgerent.
At dum hæc vrget Max. Pontifex,

Quam

Quam quærebat Italiæ, ſibi quietem inuenit,
Breui functus Principatu, ac vita.
Sex nanque emenſus non ampliùs Lunas,
Sua inuolutus nocte, hoc dormit in tumulo.

AD HADRIANI QVINTI

Tumulum

INSCRIPTIO CLXXXVI.

Tantiſper maneas, Viator, vrnam Pont.
Ad porphyriacam Parentis almi. 188.
Inuitat pretium moræ: fugamque Ann. D.
Diſces præcipitem volantis æui. 1276.
Quinti nomine condit Hadriani
Manes hic tumulus: Ligur, domoque
E Fliſca fuit; inclytuſque magni
Nepos Pontificis: bonis Mineruæ
Cultuſque artibus, & tenax honeſti:
Vaticana breuis, leuiſque ſed lux.
Nam vix reſtituit ſemel coruſcum
Vultum Luna ſuum, verendus Orbi
Pater cum Solio excidit, volucri
Vitaque, imperioque functus æque.
Exortum ſimul, & ſimul caducum
Vidit nobile Roma, & aula ſydus.
Aurem ſi tacito admoues ſepulcro,
Vocali è cinere audies, Viator,
Verba hæc: auctus honoribus, ſupremo

Et

Et ſceptro, caue, quiſquis es, fugaci
Credas illecebræ, doliſque vitæ.
Si neſcis, facis in modum liqueſcit
Citò, quo vberiore luce fulget.

AD IOANNIS XX. SIVE XXI.

Tumulum

INSCRIPTIO CLXXXVII.

Pont. Hic volo te paucis, Hoſpes, denatus in vrna
189. Ioannes iacet hac, natus Vlyſſipone.
An. D. Cum Luſitano luſiſſe inopina videtur
1276. Mors ipſa, illatâ per noua fata nece.
Scilicet, ante obitum ſepelit: tectoque ruente,
Viuentem tumulo vaſta ruina tegit.
Hinc efformatur caſu, non arte ſepulcrum;
Quæque erat aula prius, flebilis vrna fuit.
Vir doctus, doctas culto geſtabat Athenas
Pectore: regnandi ſed fuit arte rudis.
Aſſiduus libris impalluit: aurea ineptâ
Sceptra ſed erubuit detinuiſſe manu.
Deſide ab ingenio hoc pulchrum; incendiſſe ſuperbam
Contra Aſiam Europæ pectora, & arma Ducum:
Subijciat ſacris vt barbara regna Latinis,
Chriſtiadum & coleret plebs monumenta Dei.
Has animi tamen extinxit mors dira fauillas;
Nanque octona cito funere Luna micat.
Illi vita breuis, ſceptrumque volatile, & æquè
Illi pertenuis gloria, fama breuis.

AD NI-

AD NICOLAI TERTII
Tumulum
INSCRIPTIO CLXXXVIII.

Nicolaum Tertium Pontificem Opt. Max. *Pont.*
Hoc in tumulo ne quære: *190.*
Relictis hæc inter ſaxa exuuijs, *An. D.*
Nouam induit iuuentam, ac Cælum petijt. *1257.*
E gente Vrſina Romanus,
Quicquid eſſet feritatis in nomine,
Eraſit moribus.
Appellatus ab vrſis, Leonem expreſſit magna indole:
Contigit nanque illi plenum animæ,ac ſpirituum pectus.
In Pontificatu gradus, non affectui, virtuti dabat.
Cui doctrinarum inerat ſplendor,
Exſplendeſcere etiam honorum inſignibus voluit.
Primas nihilominus probitati dabat:
Vt Nicolai amores mores potiſſimùm conciliarent.
Æquitati cauit.
Stricto in ipſos iuſtitiæ adminiſtros iuſtitiæ gladio,
Ne venalitias animas aurum coëmeret.
Princeps illi virtus, religio.
Dum litaret,
Quæ immaculata eſt hoſtia,
Suis etiam lachrymis eluebat;
Ceu ſimul cum Euchariſtico Agno cor immolaret ſuum,
Pro ſanguine fundebat lachrymas.
Principum Apoſtolorum Baſilicas à ſenio nutantes,
Inicta magnifica manu;

No

Ne corruerent, ſtrenuè curauit.
Viſus etiam veluti ad vitam reuocaſſe,
Figuris exornatas, ab excellenti penicillo ſpirantibus.
Vaticanis ædibus amplificatis,
Hortos etiam
Ad quendam deliciarum principatū corona mœnium cinxit.
Laterano Templo, quod ritè conſecrauit,
Congeminauit ſanctitatem,
Addito gemino Petri, & Pauli capite:
Proſtare inclyta Capita in ea Baſilica, par erat,
Quæ Caput Eccleſiarum eſt.
Nimius in ſuos amor
Tanti Pontificis decora viſus ſanguine commaculaſſe.
Proxima Capita coronis deſtinauerat:
Sed præceps fatum deponere coegit ſuas.
Id peracerbi funeris Tybris monuit,
Adauctis nanque mirum in modum vndis,
Per Vrbis fora excurrit rei nuntius,
Et vt ſufficeret Romanorum oculis lachrymas.
Quieſcere in hac Mirenſis Præſulis ædicula voluit,
Vt tutelæ eſſet Nicolao Nicolaus:
Suoſque haberet Eliſyos
Ad peramœnam eius patrocinij vmbram,
Cuius ab oſſibus fontes manant;

AD MARTINI QVARTI
Tumulum
INSCRIPTIO CLXXXIX.

Martinus Pontifex Quartus Iacet hic; *Pont.*
Turonis natus; 191.
Martino poſtea Turonenſi, virtute ſimilis, vt nomine: *Ann.D.*
Simon antea appellatus, 1271.
E Simone facilè Petrus.
Carolum Andegauenſem, Neapolitanum Regem,
Excepit ſtatim gratulabundum.
Non ſat illi coronis ornare vittatum caput,
Niſi ad pedes etiam cerneret prouolutas.
Primus illi labor,
Sciſſam partium ſtudijs vnire Romam.
Hocq; non didicit à Martino,
Cui proprium, chlamydem ſcindere.
In Paleologum deinde Chriſtianis inſurgit diris.
Dignus Catholicorum abſcindi corpore,
Qui diſſolui Latinorum, Græcorumque curabat nexum.
Gallo hoc Pontifice,
Supremus in Sicilia veſper illuxit Gallis.
Non adeò fuere vigiles, quin hoſtis opprimeret aſtu.
Arreptum ferrum, pulſato ære ſacro,
Vt immolarentur ſolenni ritu hoſtiæ.
Tot cæſorum corporibus propior pyra eſt Ætna,
Accenditque in publico funere faces ſuas.
In hoc Gallorum caſu luget Petrus,
Addita nempè Coronæ Aragonenſi gemma,
Quæ in Galli capite reperitur.
Acclamante hinc populo, reclamat Pontifex:

Nec minæ terrent Aragonium,
Munitum promontoriis, pelagô, Charybdi, Scylla.
At Martinus vndique Marte circumſeptus,
Dum in Etruria pugnat, Æmiliam expugnat,
Neapolitanum propugnat Regnum,
Lentâ correptus febri, ad exitum non lentus properat.
Quæ illi virtus, ac ſanctitas,
Docuere edita poſt funus mira,
Perſanatis ab Extincto ægris;
Reſtituta cæcis die ad ſepulcri vmbram;
Iuſſis ire claudis,
Iacente Pontifice.

AD HONORII QVARTI

Pont. 192. An. D. 1271.

Tumulum.

INSCRIPTIO CXC.

Iacet hic Honorius Pontifex Quartus,
Iacere ſi poteſt,
Erectus ſemper ad magna Pontifex.
Sabello à ſanguine ſat habuit prænobilis purpuræ.
Congeminata hæc illi,
Vbi in Senatorium Ordinem adlectus;
Hinc non tam gemmarum pondere,
Quàm mundi mole granata cæſaries.
Per virtutis templum honoris templum
Inijt Honorius.

Re-

Recti æquè cupidus, ac tenax.
Petrum Aragonium
Intra Pachyni, & Pelori ſaxa,
Veluti columnas inter Herculeas continuit;
Diremptum Siculo freto à Regno Neapolitano;
Diremit minis.
Hæ Regi Scylla fuere, & Charybdis,
Ne vltra adnauigaret.
Victo Montefeltrio, reſtincta eſt propior belli fax;
Aſſeruitque ſibi Æmiliam,
Tyranno ſimul ab ea Ditione, ſimul à vita expulſo.
Florentem Carmeli diſciplinam ſuo adprobauit nutu.
Populoſam Auguſtini Eremum
Suo anulo ratam voluit.
Viſa ab hac Eremo, ab eo Monte
Æquè pulchrè vernare Eccleſiam.
At dignus Vaticani Sede non diù ſedit:
Citò ad meliores abijt Optimus,
Expleto vix biennio:
Diceres intra Pontificatus infantiam,
Niſi Pontificatum extendiſſent
Sapientia, religio, pietas.

AD NICOLAI QVARTI

Tumulum

INSCRIPTIO CXCI.

Pont. 193. *An. D.* 1288.

Quem vides, Hoſpes, tumulum,
Conſepultos hic Manes,
Inſcripto Lucullæio marmore,
Euulgat ſimul, & condit.
Nicolaus is eſt Pontifex Quartus.
Picenum genuit, Franciſci diſciplina aluit,
Cuius ſub textili cinere miros fouit igniculos gloriæ.
Generalis Ordinis Moderator,
Sui habenas in primis tenuit.
Intra ſuos magnus, extra ſuos maximus.
Ita euaſit in purpuram,
Vt in purpura non ſiſteret.
Dignatus Chriſtiani Orbis clauo, & Cæli clauibus.
In Principatu æquus omnibus, non æqualis,
Dignitati viros dabat, non dignitatem viris,
Vt eſſent præmia virtutis fortunæ dona.
In turbida Italia Iris fuit:
Vtramque Siciliam diremptam freto,
Vnit Regum fœdere.
Ardente hinc Veſuuio, hinc Ætna;
Reſtincta vtrobique belli fax.
Europa maior, curat res Aſiæ.
A Sulthano dum timet compedes gens Chriſtiana,
Sulthano frænum iniicit Nicolaus.
Immittit militem militantis Eccleſiæ Imperator.
Rodulphum Auguſtum propellit in Barbaros,
Vt ad notas iterum Regiones

In-

Inuolaret Romanorum Cæſarum Aquila:
Excuſſoque fulmine,
Roſtro etiam, ac vnguibus hoſtes diſcerperet.
Inter hæc deſinit viuere immortalis Pontifex,
Nec vita fungitur, ſuperſtes ſibi,
Vrna illi in templo, Maiori Virgini ſacro;
Vt quod expoliuit auro,
Exornaret exuuijs.

AD CÆLESTINI QVINTI

Tumulum

INSCRIPTIO CXCII.

Cæleſtino Quinto Sanctiſſimo Pontifici *Pont.*
Imparem hanc vrnam vides. 194.
Pro ære, pro marmore *An. D.*
Sat inclytum nomen, & virtus. 1294.
Dum certant, votis hinc inde diſſidentibus, Patres,
Cæleſtino pax abrumpitur.
Eremi cultor, affixus Cælo,
Ad Vrbes rapitur, rectu rus Orbem.
Solitum libera ire mente, & pede
Per campos, per aſtra,
Ad ſplendidã ſeruitutem volentem ducunt, nolentem trahunt.
Quem exuit centonem diſſutum, ac malè ſartum,
Animo retinet.
Auream, quam induit chlamydem,
Animus abijcit.

Men-

Mendax fabula ea eſt,
Syluas, amnes ſequutos olim Orpheum:
Certè immotæ quercus, ac fugientes riui
Cæleſtinum ſequuntur:
Vt à mente, ac penè ab oculis amoueri vix queant.
In ipſo aulæ ſtrepitu
Simul recurrunt animo amica illa ſilentia,
Simul adſtrepentes vndæ auribus admurmurant,
Ceu ſuadeant reditum.
Etſi non totus recedit è ſyluis:
Ex æquo ſe diuidit,
Ac remanet animus, vbi amat.
Dum Solio inſidet aureo,
Hæret antro, ac rupibus:
Quoad acri tandem victus ſolitudinis deſiderio,
A tantæ dignitatis meridie
Inuolare ad ſuetas nemorum vmbras totus voluit;
Atque abdicatis Infulis, redire ſyluulis,
Vt preſſum mundi mole caput,
Erigeret ad aſtra iterum:
Pulchra vice
E ſolitario Pontifex, è Pontifice ſolitarius,
Sed compede ſolutum aurea dum ſe patat,
In arcem truditur.
Claudi nequijt, cui nunquam non patuit Cælum.
Per ipſas excubias breui euolat ad ſydera.
Cælo fruitur Cæleſtinus:
Empyrei ciuis,
Qui Vrbes fugit.

AD BO-

AD BONIFACII OCTAVI

Tumulum

INSCRIPTIO CXCIII.

Pont. 195. *Ann.D* 1294.

Siſte, Hoſpes,
Hunc ſibi muſiui operis tumulum
Bonifacius Pontifex Octauus,
E gente Caetana,
Vt quieſceret mortuus, ſuperſtes poſuit.
Occurrit impauidus ſuo fato,
Ceu daret ipſe exuuias,
Non eriperet mors victrix.
Præaltum Petri Solium
Viſus is altiùs extuliſſe ſpirituum altitudine,
Suprà mortales cæteros,
Vt gradu, ita & ſapientia, & excelſæ vi mentis.
In Regulos, in Reges ſupercilio inſurgit.
Armatam in priuata Nemeſim capita,
In ipſa terrarum Numina obarmat.
Metuendos docet metuere,
Cum nullus ipſe metueret impetus,
Cui loricatum à Zelo pectus.
Sed magnam hanc Animam acriùs vellicat
Captiua Hieroſolyma,
Vbi communis libertas ſanguine, non auro coempta:
Hæc illi votorum ſumma;
Palæſtinâ aſſertâ,
Per Barbarorum cædes ire ad Chriſti tumulum.
Sed Europæus enſis

Bel-

Bella domi, quàm foris triumphos maluit.
Interim, vt refloreſceret iuuentâ ſuâ pietas,
Annum Centenarium Bonifacius condit.
Vt diteſceret Chriſtiana religio,
Opulentiam indicat Secularem ſacram.
Primus is opes haſce pluſquam Indicas,
Non trans ſpatia marium,
Sed trans volumina temporum adinuenit:
Primus munifica diſperſit manu.
Teruntur piorum oſculis Diuorum limina:
Lararium mundi Roma eſt,
Tota à mortalium precibus calet:
Iam, Orbem qui ſacrat, ornat legibus.
Conſulta Pontificum æreis euulgat typis,
Quæ impreſſa animis vellet.
Viuet ſuo in Sexto Bonifacius Octauus:
Ibit æternus Legifer per manus, per ſecnla.
At generoſior Pontifex violento oppreſſus turbine eſt.
Hoc deerat, illuſtrare vincula.
Neque eſſe carceri locus poterat.
Vbi Pontifex erat.
Breui tamen extinctus:
Ceu vitam contemneret,
Poſtquam libata nexibus libertas fuit.

AD BENEDICTI IX. SIVE XI.

Tumulum

INSCRIPTIO CXCIV.

Benedictus Nonus Pontifex Max. *Pont.*
Illuſtre marmor hoc facit *196.*
Virtutis pretio, & pio cinere. *Ann.D*
Taruiſium Orbi dedit, & Prædicatorum Familiæ, *1303.*
Deprædicandum nempè ab inſigni ſanctimoniæ laude.
Additum Dominici fronti ſydus alterum,
Ordinem mirificè illuſtrauit.
In ſupremo ſuorum Magiſtratu
Neſcias, ſe melius, an ſuos rexerit.
Hi faſces rudimentum fuere ſupremi Eccleſiæ Principatus
Sanctiſſimi adeptus nomenclationem,
Qui ſanctiſſimus iam erat vitæ moribus.
Flagrantiſſimo Pontifici id primum,
Dehoneſtatam in Deceſſore Bonifacio Petri Infulam,
Petri gladio vindicare.
Quos ſua damnauit contumacia,
Abſoluere Benedictus nequijt,
Excuſſitque è ſinu Matris improbam Sobolem.
Quòd verò diſſeminatas in fertili Italiæ ſinu diſcordias,
Ferream ſuccreuiſſe in ſegetem cerneret;
In eo totus fuit,
Vt cruentas iungerent dexteras bellorum capita,
Mens illi, vt compoſito Itali fœdere, bellum continuarent,
Sed in Barbaros,
Et ſuum ferrum, ſuum aurum
Hieroſolymæ conſecrarent.
Sed diuulſa Italiæ membra nulla pax necteret.

Hæc dum agitat,
Mortalitatem exuit intra Pontificatus ſui annum,
Spatio dignus ſeculari religioſiſſimus Pontifex,
Qui æquè vitam admirabilitate virtutis,
Ac mortem editis mirabilibus nobilitauit.

AD CLEMENTIS QVINTI

Tumulum

INSCRIPTIO CXCV.

Pont. Hic ſitus Clemens Pontifex Quintus,
197. Tam ab Italia alienus,
Ann. D Quàm prona illi Italia.
1305. Abſens Peruſiæ lectus Pontifex,
Trans Alpes ſe ſe continuit.
Quam arripuit fortunæ comam,
Retinere non extra comatam Galliam voluit.
Quiduis aliud expectare à Clemente Roma poterat;
Experta ſeueriorem, quem ſecùs adpromitteret nomen.
Gentium Domina, erepto tergemino diademate,
Viſa maieſtatem omnem decoxiſſe.
Nil reliquum in vultu gratiæ,
Amiſſa Patrum purpura.
Corruit Capitolium, ceu ſuo minutum capite.
Adoratus ab Oceano ipſo Tybris,
Suos nunc Rhodano ſubmittit faſces.
An ſuſtentare Romanam magnitudinem
Priſci arcus, ingenteſque moles poterunt;
Mun-

Mundi Atlas ſi aberit?
Quàm graues in reliqua deinde Italia motus,
Mota loco dignitate Pontificis!
Hinc Principum multitudo
Ac multiplex ab ijs ærumna.
Tyrannos exercent bella, Tyranni populos.
Italia victa, & victrix
Palmas ſuas ſuis ipſamet vulneribus cruentat:
Cumulat mala Henricus Cæſar:
Viſus attuliſſe ab Arctois Germaniæ niuibus
Acriores inflammandæ Italiæ faces.
Monuerat hoc pridem deliquium Solis:
Et ferali crine micans cometes.
Scilicet, hic nunquam capillos ſoluit,
Niſi ad luctum Orbis.
Illum atratum ſi videas,
Parentalia, ac funus cogita.
Non Italiæ, non Romæ defuit Gallus Pontifex.
Aderat in ſumma capita Eccleſiaſtico fulmine:
Monere, minari:
Interim orthodoxæ religioni Concilijs conſulit.
Hæreſum monſtra iugulat Gallicus Hercules.
Moribus ſeuerè cauit editis Clementinis.
Templarios Chriſti olim militiæ adſcriptos,
Poſtea transfugas, proſcripſit.
Templarios non tuentur templa:
Ad aram religionis immolantur.
Eccleſiam nouenos circiter annos procurat Clemens.
At ceu perpetuo agitatus motu fuerit, dum ſedit,
Hic tandem quieuit,
Conſepultis vna ſimul terrarum, Cælique curis.

AD IOANNIS XXI. SIVE XXII.

Tumulum

INSCRIPTIO CXCVI.

Ioannis Vigeſimi Secundi P.M. Catureenſis
Pont. Exornando cineri, æternandæ famæ,
198. Hoc è ſolido marmore monumentum
An. D. Excitatum, Hoſpes, vides.
1316. Lugduni Pontifex conſalutatur.
Tantæ moli ab animi robore haud impar ſenium.
Vireſcere nanque à virtute
Ætas pluſquam ſeptuagenaria videbatur.
Res illi cum Bauaro fuit.
Inuaſit is Auguſti nomen, & faſces,
Romanæ anceps Aquilæ.
Mediolani coronatur ferro, Romæ auro.
Vtrumque ſcilicet, aurum, ferrum
Tam auido, crudelique Capiti æquè conſentaneum.
Diſcerptam Italis Regulis Italiam,
Germano milite inuecto, acriùs exagitat.
Enſes exacuit enſibus,
Imponitque vulneribus vulnera.
Imperij Latrocinio allatrat Pontifex.
Euibrato telo,
Trabeatam ab Hercinia belluam terret,
Vt tantùm prædæ ab vnguibus dimittat.
At non hæc mouent, aut monent Bauarum.
Non ſuo inſidens Solio,
Suo deturbare è Solio Pontificem nititur.

Pſeu-

Pſeudo-Pontificem creat Pſeudo-Cæſar,
Mali corui malum ouum.
Tantum Nicolai Quinti ſcelus
Auenione abſcondit mox carcer.
Raptam Tiaram Luit dura compede,
Quam poſt paulò mors ſoluit, quæ ſoluit omnia.
Cum maximè à bellorum motibus fluctuaret Petri nauis;
Auxiliares illi Pontifex ſubmittit manus,
Adauctis Cæli Ordinibus.
Nam Ludouicum Toloſanum,
Inſcriptum Regum nomine Lilium;
Petrum Moronum, Pontificio magnum,
Exuto Pontifice, maximum;
Thomam Herfrodenſem Epiſcopum,
A mote, à miris inclytum:
Thomam Aquinatem, Sole ſuo clariorem,
Solemni dum conſecrat Apotheoſi,
Præſidia cumulat Eccleſiæ.
Is verò anno Pontificatus bis deno,
Ætate nonagenarius moritur.
Auſpicatus longæuiorem à tumulo vitam,
In poſthumo ſuo Cinere conquieſcit.

AD BENEDICTI XI. SIVE XII.

Tumulum.

INSCRIPTIO CXCVII.

Pont. Sacrorum inſignis Sceptro, Benedictus, ab omni
199. Laudandus ſtudio, conditur hoc tumulo.
Ann.D. Quam fatum eripuit, linguam lapis iſte diſertam
1334. Commodat, hinc de ſe parciùs hæc loquitur.
Sum Gallus; vitamque hauſi, lucemque Toloſæ
Primam, hic & primo guttura lacte madent:
Altera nam ſacros inter mihi fuſa penates:
Hic vbi lacte nouo me Benedictus alit.
Pauperiore toga proluſimus oſtro: inopina
E Matris gremio purpura me rapuit.
Senſit onus ceruix; nec virtus prona ſatiſcit;
Frons eſt dura malis, frons hilariſque bonis.
Nec mora: clauigeri me ad ſceptra vicaria Petri
Romulidum vnanimis prouocat vrna Patrum.
Res Latias armis miſcet, turbatque Bauarus,
Dum ſibi fulmineas arrogat ipſe Aquilas.
Fulmine contorto petij, dirisque Latinis;
Dira nec inſani Cæſaris ira mouet.
Italica & Domini diuexant Regna minores,
In fera quos triſtis prælia Erinnys agit.
Officij hos nutu moneo, vultuque minaci,
Legata & populis Purpura fræna regit.
Viſus belligeros non irritaſſe Elephantes
Hic color, iniecto at continuiſſe metu.
Hinc licet armipotens me Gallia diſtinet; adſum
Et Romæ curis, imperioque graui.

Nam

Nam ſi tergeminum diadema in vertice ſacroſ...
Fulſit; longa etiam ſceptra fuere mihi.
At non longum æuum extendo fugientibus annis;
Septenas ſiquidem vix numero ſegetes.
Gratulor at populos certaſſe ad funera fletu;
Tot cinerem lachrymis & maduiſſe meum.
Scilicet, extincto hæc mihi pompa ſuperbior: hæc &
Pyramis; haud vnas collachrymaſſe genas.

AD CLEMENTIS SEXTI
Tumulum.
INSCRIPTIO CXCVIII.

Receptus Cælo
Clemens Sextus Pont. Max. *Pont.*
Non totus abeit terris; 200.
Dimidium ſui condi in hac vrna voluit. *An. D.*
Patria is fuit Lemouicenſis; 1342.
Profeſſione Monachus;
Ingenium, eloquentia, morum comitas
Chlamydem illi adlaborarunt Lemouicenſem,
Quam induit, exutus monachum.
Fauſto deinde ſydere facem prælucente,
Viam ſibi ad ſacrorum Principatum fecit.
Cui Petrus claues ſuas credidit,
Hoc illi primum, aperire Empyreum,
Indicto anno Seculari ſacro.
Bonum factum,

In-

Inſtituit Bonifacius Pontifex Octauus,
Vt poſt centum ſoles affulgeret luſtralis hic annus,
Ac repubeſceret Orbis, ceu phœnix centenarius:
At in perbreui æuo longior mora hæc.
Rara, quæ ſeculum æquet, canicies.
Clementiùs egit Clemens.
Feſtinauit hanc anni vbertatem,
Aperuitque decima Olympiade Olympum.
Viſus ſuis conuelli ſedibus Chriſtianus Orbis,
Ac peregrinari vrbes, regna,
Vt piè popularentur Romam populi.
Renzius in Vrbe rem turbat,
Occupato ad ſuperbiæ triumphum Capitolio,
Cuncta nutu, ac metu regit:
Pro lege ſupercilium erat.
Seruare Romanam Remp. iactat,
Dum ſeruam facit.
Aſſertorem ſe aſſerit, dum ſubijcit.
Sed præceps ab eò culmine,
Volucrem Principatum fuga claudit.
Qui modò vindex, modò vinctus,
Pontifici ſiſtitur,
Ac translati ad Renzij pedes Romæ compedes.
Bauarum deinde, inaugurato Carolo Boemo, Clemens frangit.
Opponit nempè Cæſari Cæſarem,
Latoque clauo latum clauum trudit.
Romanam item Ditionem ditiorem reddit,
Auenione coempta.
Deſignato Ludouico Rege,
Simul Neapolitanum Regnum, Simul Italiam pace componit.
Ipſe ad huiuſce tumuli vmbram dum dormit,
Non ſomniat:
Vera, non vmbratili potitus quiete.

AD IN-

AD INNOCENTII SEXTI

Tumulum

INSCRIPTIO CXCIX.

Innocentio Pontifici Sexto Lemouicenſi, *Pont. 201.*
Quod non excitauit magnificentia Mauſoleum. *An. D. 1352.*
Studia poſteritatis conſecrant.
A ſplendore famæ, quam à nitore marmorum,
Longè magnificentius Sepulcrum eſt.
Vitæ laude non diſſonus ſuo nomini
Innocentius.
Strictior in ſupercilio ſeueritas ſolutis cauit moribus.
Sacerdotia iudicij, non fortunæ dona fecit.
Virtutem ex ſe ornatiſſimam, ornat Infulis:
Vt nihil oderit vehementiùs, quàm vittatum vitium.
Faſtum à ſe, à ſuis proſcripſit,
Imminuta Pontificiæ domus pompa, non maieſtate:
Gnarus, aureis hanc augeri moribus, non auro.
Ac ſacra in aula aulicorum modeſtiam,
Non aulæa Belgica,
Regiam eſſe ſuppellectilem.
Frugalis, non auarè cupidus.
In tuenda verò, aſſerendaque re Romana largior.
Non auro, non ferro parcere.
Italiæ Tyrannos,
Hoc eſt, ſuperbas Eccleſiæ exuuijs corniculas,
Furtiuis exuit coloribus,
Expoliauitque, qui Petrum expilauerant.
Romæ ſumma papauerum capita demeſſuit,
Baroncellis, Renzijs malè mulctatis.
De Senatoria chlamyde pugnaciſſimè dum certant Ciues,

Rex Cypri Luſinianus, Senator ab Innocentio renuntiatur.
Viſa hinc Venus Cypria
Exarmaſſe Romanum Martem.
Diuiſam terris, ac mari Europam,
Nectere animis ſtuduit,
Vt captiuam in Aſia Chriſti vrnam redimerent,
Communi fœdere, aut funere.
At digladiantes Reges, Principes,
Dum mutua calent cæde, viſi abhorrere à ſepulcro:
Ceu leuis eſſet armorum merces
Sepulcrale tanti ponderis marmor.
At voluiſſe ſat illi fuit.
Intra decennium extinctus,
Hoc redimendi Seruatoris tumuli votum
In tumulum importauit.
Fortè hoc ipſum etiamnum optat, & vouet
Conſepultus hic cinis.

AD VRBANI QVINTI

Tumulum

INSCRIPTIO CC.

Pont. Vrbani Quinti Pont.Max. Lemouicenſis.
202. Ne te, Hoſpes, huiuſce ſepulcri, facies moretur.
Ann.D Eſt, quod ſupra ſepulcrum mireris;
1362. Parem nempe Solio animi celſitudinem,
Æqui, ac recti conſultum pectus.
Dum Mediolani Pontificis Legatum agit,
Le-

Legitur Auenione Pontifex.
Abeſſe oculis, non animis tanta virtus poterat.
Nihil hic ſibi arroget,] quæ cœca eſt fortuna:
Longè poſitos nonniſi oculatiſſimi vident.
Qui Guig'ielmus è Gallia diſceſſerat,
In Galliam redit Vrbanus.
Gnarus, quæ progerminaret in dies mala
Fertilis bellorum Italia,
Ægidium Cardinalem eò mittit,
Cui Pallas ægidem, Mars fulmen viſus commodaſſe.
Vicecomitum is ſtatim Anguem aggreſsus,
Reliqua mox Italiæ monſtra debellauit,
Alcides purpureus.
Vindicata hinc cruentis è Tyrannorũ manibus publica furta:
Reſtitutæ Vrbano ſuæ Vrbes.
Qui quidem,
Quòd eliceret adhuc populorum lachrymas
E bellorum incendio fumus,
Adire & ipſe Italiam voluit,
Vt certius è Vaticano culmine euibraret telum.
Venit, vicit.
Simul exterruit, ſimul exhilarauit ſupercilio.
Romæ abſconditum effodit theſaurum.
Conquiſita nanque diù Principum Apoſtolorum capita,
Suis tandem emerſere tenebris.
Scilicet, extulere duo illa mundi lumina caput ſuum,
Vt tantum Pontificem de vultu agnoſcerent.
Ille pretioſiora auro, auro ornat,
Ac ſublimi è pegmate
Exponit in gemino capite ſanctimoniæ monſtrum.
Ex Italia in Galliam rediens Vrbanus,
Feſſus ab itinere, æterno quieuit ſomno:
Cubatque in molli culcitra,
Quam ſternit ſepulcrale hoc marmor.

AD GREGORII VNDECIMI
Tumulum
INSCRIPTIO CCI.

Pont. Gregorius Vndecimus, Lemouicenſis
203. Condi in tumulo hoc Mariano voluit,
Ann. D. Cauitque ſuo cineri tutela magnæ Matris.
1370. Clementis Pontificis Sexti nepos,
Præcocem ab eo purpuram prætextatus vix puer meruit.
Purpuræ quid ſplendidius addidit Baldus,
Quo præceptore, in Peruſino gymnaſio laureatus:
Lauream veró ſuis ipſe moribus exornauit.
In Gallia lectus Pontifex,
Agnouit, Romanum ſe Pontificem, non Gallum,
Auulſaque hinc Petri Sede, tranſtulit in Latium.
Redire vt meminerit, excitauere bellorum claſſica.
Romana tecta, Romana templa,
A ſenio dum corruunt,
Id ipſum poſtulant ſupplicabunda,
Adduntque alas Pontificis pedibus,
Ad illos veluti prouoluta.
Admouet & ſuam lateri facem,
Fax illa diuinæ charitatis,
Senenſis Virgo.
Nemo melius Italiæ vulnera repræſentauerit,
Quàm quæ Chriſti vulnera geſtaret in corpore.
Perorare inſigni facundia cruenta ea ora potuere.
Diſceſſum vena vbere collachrymát Rhodanus:
Plaudit, admurmurat feſtiuè Tybris.
Viſa ſibi Roma in hoc vno Pontificis reditu
Triumphos priſcorum Cæſarum inſtauraſſe omnes.

Nunc

Nunc ſe caput mundi reputat,
Reſtituta ſuo capiti, Tiara Pontificum.
Iterum Vaticanum aſſurgit aſtris.
Res Italas tranquillat ſerena fronte
Neptunus Gallicus.
Sua templis religio, ſuus religioni cultus redit.
Mores ornantur & moles.
Inter hæc vitam exuit Gregorius:
Placuitque adeò Italicum Cælum Gallo,
Vt æternam hic ſibi deſtinauerit ſtationem.

AD VRBANI SEXTI

Tumulum

INSCRIPTIO CCII.

Vrbanus Sextus Pon. Max. *Pont.*
In Petri naui diù agitatus, 204.
Per ipſas pelagi, ac ventorum minas *Ann. D.*
Portum hunc tenuit. 1378.
Parthenope, quæ genuit,
Gratulata ſibi deinde eſt ſummum Orbis Patrem.
Abſenti defertur Infula.
Scilicet, quæritur virtus, non quærit,
Prenſatur, non prenſat.
Secundiſſimæ huic ſuffragationis auræ
Succedens mox aquilo,
A fundo mare euertit.
Fundis namque excitatus turbo

Tur-

Schiſm. 27. Clement. 7. contra Vrbanũ Sextum

Turbare Vrbem, deturbare Vrbanum nititur,
Pſeudo-Pontifice renunciato.
Planè nulla vnquam inclementiora Romanæ rei tempora,
Quàm quæ Clementem inaugurarunt.
Sciſſa videlicet in partes Chriſtiana Republica,
Quam non vnio, ſed vnitas nectit..
Stat ſua in Sede Vrbanus,
In tanto rerum motu immotus.
Idem illi timendum Regibus ſupercilium.
Teſtis Ioanna Neapolitana,
Quam timere docuit abdicatum Pontificem.
Carolum ipſum Vngarorum terruit,
Ne videretur, fœmineum duntaxat fregiſſe ingenium.
Neque Ludouici Andegauenſis copiæ
Superata Alpium niue,
Tepefacere eius flammam pectoris potuere.
Illud ſeuerè nimis actum:
Non vnam merſiſſe Purpuram,
Vt perfidiam elueret maris vnda.
Iam, Reginis, Regibus, Pſeudo-Pontifice
Conflictatus peracerbè Vrbanus,
Par omnibus, morti impar,
Supremæ tandem neceſſitati ceſſit:
Somno conſopitus,
Quem nulli vnquam abruperint
Turbarum, tubarum ſtrepitus.

AD BO-

AD BONIFACII NONI

Tumulum

INSCRIPTIO CCIII.

Bonifacio Nono Pont. Opt. Max. *Pont.*
Excitatus hic muſiuo opere tumulus: *205.*
Superſtes licet fama ſepulcro eximat. *Ann.D.*
E gente Tomacella Neapolitanus, *1389.*
Intra iuuentam indole, moribus iam ſenex,
Ætatis anno haud vltra trigeſimum
Pontifex conſalutatur.
Ad tanti muneris decus,
Operuit Tiara comam, ne iuuentus appareret:
Ceu ſit Pontificiæ maieſtatis color, canicies.
Is verò gemino ceu vultu Iano perſimilis.
Ore vernans, maturùs mente,
Chriſtianæ Reip. opportuniſſimus fuit.
In turbulentiſſima Italia ſerenitatem Vrbi affert.
Romani Pontificis poteſtatem domi auget,
Ditionem foris.
Aſſertis è Regulorum vnguibus vrbibus.
Ladislaum ſuo reſtituit Regno,
Suum Ladislao Regnum:
Fulſitque regia ea frons,
Non tam auro, aut gemmis, quàm Bonifacij beneficio.
Hoc Pontifice,
Sacer annus voluitur,
Pateeque Orbi Vrbs ſanctior.
Vt haberet Roma, quod daret,
Ærarium illi ſuum indulget Cælum;
Ac viſum perſanctè diripi piorum manibus.

Iam,

Iam, qui ornabat Romam moribus, marmoribus ornauit,
Vt ſua eſſet præclaro nomini Patio è ſaxo perennitas.
Hoc illi vertitur vitio,
Nonnihil fuiſse à ſuorum ſanguine emollitum.
Cæterùm adamanti non abſimilis,
Splendidùs perindè, ac ſolidus.
Decennis Princeps decedit.
Habuit Neapolitana Siren, quid caneret.
Habuit Romanus Tybris, quid vndis ſuis fleret.

AD INNOCENTII SEPTIMI

Tumulum

INSCRIPTIO CCIV.

Innocentius Pontifex Septimus
Suos huic lapidi cineres commendauit:
Pont. 206. *Ann.D* 1404. Haud veritus, fore in niueo marmore canam fidem.
Sulmo illi Patria.
Vt olim plectro eximij Vatis,
Ita nunc clara ea Vrbs ſceptro Romani Pontificis.
Admotus is Petri Cathedræ,
Quo tempore à bellorum motu nùlla Italiæ quies.
Delirare Tyranni, Reges:
Plecti populi videbantur.
Flagrantia regnandi cupidine pectora
Incendia longè, latèque importabant.
Quæ mutuus deinde ſanguis vehementiùs excitabat.
Rabies ea erat, quæ ſaxa etiam admordebat:
Eu er-

Euerſis tectis, templis, aris.
Aſpicere ab ſpecula hæc poterat Pontifex,
Proſpicere non poterat.
Extera verò dum cauet, inteſtino laborat malo:
Efferbuit nanque rebellis Roma,
Suiſque è collibus Iouem ſuum petit,
Gygantum more,
Furoris ignem conflabellante Ladislao:
Clandeſtinus fugit Innocentius.
Mirum, quòd latere in tanta armorum luce potuit:
Diuerberata his fluctibus Petri naui,
Rector ipſe mergitur,
Qui cum vacare muneri non valeret,
Vacauit munere,
Intra biennium vita functus.
Tota illi Italia,
Dum tot belli facibus ardet,
Iuſta exequiarum ſoluit.

AD GREGORII DVODECIMI

Tumulum

INSCRIPTIO CCV.

Gregorius, Maximus olim Pontifex, *Pont.*
Sub hoc ſaxo latet, 207.
Quòd Infula exauctoratus, *An. D.*
Videri ſine Pontificia chlamyde erubeſcat. 1406.
E nobili gente Coreria Venetus,

Expertus in grauiſſimo Principatu rerum luſum.
Momentò attulit, abſtulit fortuna Imperium,
Crine ſuo leuior.
Ita Pontifex renuntiatur Gregorius,
Vt neſcias, inciperet, an deſineret eſſe Pontifex,
Aboleri monſtrum debuit,
Hoc eſt, ſoboleſcens corpus in plura capita.
Tergeminum licet Romanæ poteſtatis diadema,
Nonniſi vni aptatur Capiti.
Tot Regum Chriſtianorum coronæ
Vni etiam Capiti vectigales.
Nulla in Tiara Pontificum pretioſior gemma,
Quàm vnio.
Gregorio facilis è Petri Solio deſcenſus fuit.
Adoratus a Chriſtiano Orbe, vbi Cæli faſces capeſſiuit:
Vbi abdicauit, meruit adorari.
Si magnus cecidit è Vaticano culmine,
Magnus iacuit in vetere purpura,
Cui neſcio quis additus fulgor,
A iubare poſitæ dignitatis.
Poſt immortale hoc facinus ſuperſtes haud diù fuit:
Oſtenditque, qui Pontificatus inſignia vltrò exuit,
Facilè potuiſſe mortalitatem exuere.

AD ALE-

AD ALEXANDRI QVINTI
Tumulum
INSCRIPTIO CCVI.

Alexander Quintus,
Precarij ſpiritus Pontifex, *Pont.*
Poſt faſces octimeſtres labore perfunctus breui, *208.*
Hoc in tumulo diutiùs dormiet. *Ann. D*
In Creta natus centum olim vrbibus inclyta, *1509.*
Dignus, pro quo centum vrbes certent.
A primo æui flore magna de ſe pollicitus,
Cretenſis non mendax.
Ardens ingenium cinere contexit,
Aſſiſinatis habitu, ac diſciplina initiatus.
Pariſijs doctrinarum Encyclopediam ita hauſit,
Vt gemino poſtea è fonte, ſtylo, lingua,
Manauerit vberrimè eruditio.
Ex Inſulis Vicentinis Nouarienſibus, Mediolanenſibus,
Inter Purpuratos Patres
Ab Innocentio Pontifice Vir innocentiſſimus adoptatur.
Piſis, veluti in Piſæo puluere,
Ad Romanum Principatum curſum ita intendit,
Vt in multorum certamine palmam retulerit.
Pontifex inauguratus,
Alexander nuncupatur, æquauitque animo Alexandrum.
Exhauſto largitionibus ærario, dicere ſolitus,
Diuitem ſe Epiſcopum, pauperem Cardinalem,
Mendicum fuiſſe Pontificem.
Ea vera liberalitas, quæ largiendo ſemper eget;
Et cum à pecunia creſcit amor, non habendi, ſed dandi.
Qui ſic pauper, ille Auguſtus, & Alexander.
Qui verò adeò liberalis, libera quadam indole

In Ladiſlaum inſurgit.
Non fulgur, non fulgor maieſtatis abſterruit,
Quominus auulſum ab adulterinis manibus ſceptrum,
Legitimis adiudicaret.
At citò, depoſita mole Imperij,
Quieuit hic Atlas,
Potitus Cælo, quod ſuſtinuit.

AD IOANNIS XXII. SIVE XXIII.

Tumulum

INSCRIPTIO CCVII.

Ioannes Vigeſimus Secundus Pontifex, non Pontifex,
Pont. Suprema prius Infula, quàm moralitate exutus;
209. Quod fuerat, quod erat,
An. D. Exigua cum hac vrna commutauit.
1510. Genitus Parthenope Balthaſſarus Coſſus
Cubare Sirenum in ſinu noluit.
Delicias inter ſtudia literarum Bononiæ reperit.
Vbi legum iura didicit,
Exercuit poſtea iura regnandi,
Pontificis diu Legatus, mox Pontifex.
Spirituum celſitudine ſublimi par muneri
Romanæ rei vindex æquè ſupercilio, ac armis.
Qui agnoſcere Patrem noluere, ſenſere hoſtem.
Tantum Pontificem moueri loco oportuit,
Vt ſtaret Chriſtiana Reſpublica.
Sciſſa nanque Triumuiratu Eccleſia,
Nil propius erat, quàm vt corrueret,

Atlas licet tergeminus ſuſtentaret.
Non tam maieſtatem, quàm diuinitatem exuere:
Terrarum faſces, Cæli vices abdicare:
Parere, imperare aſſuetum,
Quid magnæ Animæ acerbius?
Coſſus, luctante licet ardore ingenij,
Æquè magnus, ſi ſumat, aut ponat ſecures;
Pontificatum abdicat;
E Ioanne iterum Balthaſſarus,
Priſca contentus purpura.
Hæc illi, fortuna fugiente,
Relicta in manibus lacinia:
Quam & breui vnà cum extincti corporis exuuijs
Hoc in tumulo depoſuit.

Eiuſdem Pontificis Tumulus numeris exaratus.

Pontificem, non Pontificem haud ignobile marmor,
Nec rudis vrna ſinu complectitur: ille Ioannes
Clauditur hic Coſſus, qui Romula ſceptra reliquit,
Supremoſque prius faſces, quàm munera vitæ.
Magnarum genitrix animarum, atque inclyta claris
Parthenope Heroum factis, in luminis auras
Edidit, egregia formauit & indole pectus.
Illecebras fugit is Patriæ; facileſque per aures
Non animum abripuit Sirenum dira voluptas.
Itque ardens Iuuenis, quà Felſina docta Mineruæ
Educat Italiam ſtudijs, atque artibus ornat.
Hic docuit ſua iura Themis: nam pectore toto
Aſtræam arripuit: populis tùm dicere leges,
Publica ſollicitus tractare & commoda cœpit.
Purpurea hinc auctus vitta, trabeaque Latina,

Pur-

Purpureos auget Patres : hinc ſceptra Quirini
Aurea tergemini ſupremo iure miniſtrat :
Æmiliæque diù Legatus temperat vrbes .
Romulei mox ipſe Orbis Pater , Hercule maior ,
Aſtra humero torquet , mundique à pondere anhelat .
Par oneri morum grauitate , & mente profunda .
Siue ſupercilio , ſtrictis ſiue ardeat armis ,
Æquè hoſtes terret : blandis at moribus , acri
Principe & exuto , ſat norat mitior eſſe .
Interea rem Chriſtiadum triſti aſperat ore
Monſtrum immane triceps : ſciſſa eſt chlamys aurea Petri ,
Sciſſumque eſt vulgus : velut vnus non ſatis Atlas ,
Tres regnant ; ruat vt citiùs Cæli æmula Roma .
Ergo vt ſtet Petri Solium , de Sede moueri
Debuit & Coſſus : terrarum hinc fræna , viceſque
Abdicat is Chriſti , contentus murice priſco .
Luctatur naturæ ardor , luctatur & ingens
Vis magnæ mentis : grandi quid acerbius vnquam
Ingenio , mundi dominos quàm ponere faſces ?
Se tamen egregiè vicit , geniumque ſuperbum .
Qui iuſſit , paret generoſior : inclytus æquè ,
Et magnus , ſeu ſceptra capit , ſiue abijcit idem ;
Seu Balthaſſarus , ſeu maieſtate Ioannes .
Dum fortuna fugit , manibus chlamys vna relicta eſt
Purpurea : hanc nimiùm fatis properantibus , vnà
Cum ſpolijs animæ magnæ mox intulit vrnæ ,
Et iacet hoc tumulo Coſſus bis murice tinctus :

AD MAR-

AD MARTINI PONT. QVINTI Tumulum

Pont. 210. Ann. D. 1517

INSCRIPTIO CCVIII.

Æternæ memoriæ
Martinus Quintus Pontifex Maximus
Æternat hæc ſuo nomine, & vultu æra.
Grata hic illi quies,
Vbi exerta Principum Apoſtolorum capita
Veluti ad excubias proſtant.
Præalta virtutis indole
Neſcio quid celſitudinis Columnæ ſuæ addidit.
Supra illam poſitus Stylites inclytus,
Latere cum minus poſſet,
Renunciatus Romanus Pontifex eſt.
Datus opportuniſſimè Orthodoxæ Eccleſiæ Martinus:
Fulciri ſiquidem columna debuit,
Diuulſa, ac diù nutans res Romana.
Neque è Conſtantiæ Concilio alius prodierit Pontifex,
Quàm qui à teſſeraria Columna
Inſignem adpromitteret in reſtituenda religione conſtantiã.
Laborante à Pontificum numero Chriſtiana Republica,
Ab vno hoc Capite abactum triceps monſtrum.
Vt Chriſtum contegeret,
Martinus olim chlamidem ſcidit:
Sciſſam nunc ſarcit Martinus alter,
Vt ſuum ſtet inconſutili Chriſti tunicæ decus.
Ioannes, Gregorius Inſulam abdicant non ſine plauſu.
Lunæ contumaciſſimo nemo non allatrat.

Tertius per Ciacconium.

Agno-

Agnouit tandem Roma veri vultus Pontificis;
Suiſque penè humeris venientem excipit Atlantem ſuum.
Exundauit tunc Tybris.
Scilicet, contineri intra ripas nequijt,
Vt Principis ſui pedibus
Figeret & ipſe oſcula gratulabundus:
Is verò ſqualentem Vrbem reperit, an dirutam?
Non tectis, non moribus ſuum decus:
Viſuſque priſco maior Romulo,
Conſtituere Romam, non reſtituere:
Fuſis etiam armorum vi Tyrannis:
Vt quæ vorauerant Petri patrimonia
Per vulnera euomerent.
Regit deinde quàm ſapientiſſimè Chriſtianum Orbem,
Acer, mitis:
Improbis columna ignis,
Bonis columna nubis.
Annos ſi numeres, non ſatis diù vixit,
Functus vita anno tertio, & ſexageſimo.
Si facta; dices, ſecula exceſſiſſe,
Viuetque in memoria temporum diutiùs.

AD EV-

AD EVGENII PONT. QVARTI Tumulum

INSCRIPTIO CCIX.

Eugenio Quarto *Pont.*
Æterno hæc funere 211.
Inſcripta parentant marmora; *Ann.D.*
Maneſque animant conſepultos. 1531.
Scilicet extinctæ virtuti
Id ſupereſt vitæ, facundia lapidum.
Venetijs editus inter pelagi Euripos, ac Nilos,
Aquibus ſalis plurimum, leuitatis nihil hauſit.
Priuata æquè ac publica virtute magnus;
His ſibi ad Principatum muniuit viam.
In nubila cum inciderit tempora,
Detonare, fulgurare armis oportuit.
Viſus circumferre per Italiam fulmen,
Vt auſos occupare Cæli iura, Gygantes deturbaret.
Semel, inuolante in muros hoſte,
Mutato habitu, è Pontifice monachum,
Excedere Roma cucullatum, oportuit.
Latuit maieſtas,
Ne illa dehoneſtaret fuga.
Cæterùm fugit Parthorum ritu,
Vel in fuga ipſa pugnaciſſimus.
Nec poſt multò ſuum redit in Capitolium victor.
Acrius illi à Baſilea bellum,
Dum rebellant in caput membra.
In Pſeudo-Pontifice monſtrum hic vides:

*Ita D. Antoninus.

*Edidit nempe Baſilea Baſiliſcum :
Enatusque infelici puerperio Felix.
Ferrariam confluxere Romani Patres,
Vt quiduis aliud tractarent magnæ mentes,
Quàm ferrum.
Florentiam deinde meliore omine immigrant;
Vt effloreſceret pulchrè religio, pax, fides.
Mendax hic Græcia, hauſta Latinorum mente,
Vero litat.
Apes Atticæ Romanis è floribus
Sinceros Florentiæ ſuccos libant.
Iunctiſque vtraque Eccleſia dexteris,
Oſcula, amplexus miſcent.
Gratulante Eugenio,
Quòd eſſet iam vnum ouile, & vnus Paſtor.
Lætitiam Nicolaus Tolentinas cumulauit.
Decreta illi thura mortalium;
Qui Chriſti bonus odor fuerat.
At Pontifex non vna agitatus procellâ,
Dum magna adhuc mente velificat,
Ad hunc frangitur ſcopulum:
Nactus ſepulcrali in marmore
Naufragium ſimul, & portum.

AD NI-

AD NICOLAI QVINTI
Tumulum
INSCRIPTIO CCX.

Nicolai Quinti Pont. Maximi Lunenſis *Pont.*
Lunenſe hoc marmor dum cineres contegit, *212.*
Virtutem exponit. *An. D.*
E mediocri ſorte repentè Maximus. *1547.*
Eodem ipſo anno Sacerdotio auctus Bononienſi,
Inſignitus purpura, conſalutatus Pontifex.
Nihil hac felicitate celerius, hac celeritate felicius.
Micuere illi aſtra, & quàm citò, & quàm bene.
Neuit annus Infulam, purpuram, chlamydem,
Quibus vix ſufficiunt luſtra.
Generoſior auis fuit.
Volatu quàm rapidiſſimo aliud ex alio cacumen petiit.
In Petri Cathedra ſedendo minimè quieſcit.
Publicam tranquillitatem operoſa mente agitat.
Italiæ commodis dum incumbit, Aſiam ſpectat,
Vt Lunam euerteret Lunenſis Pontifex.
Sed dum pergunt rixari Europæi Principes, Thrax vincit.
Mehemetes ſecundus, ſecundus appellatus Alexander,
Conſtantinopoli potitur, cæſo Cæſare.
Græcorum Regiam diripit Turcicus Alexander:
Occidit Orientis Imperium.
Huc ades, Anime magne, Conſtantine,
Poſtquam Aſiam deuaſtarunt,
Tua in aula ſtabulantur belluæ.
Noua tua Roma Auguſtale Barbarorum eſt.
Interim Friderici Cæſaris
Honeſtatum Pontificis manu caput:

Et ſuo fulget, & externo auro auguſta cæſaries;
Plaudente ad ſui Cæſaris pompam Roma;
Cui à luſtralis anni vbertate vberior lætitiæ cauſa.
Nunquam Roma ſanctior, quàm ſeculari anno:
Nunquàm opulentior, quàm cum Cæli opes diſſipat:
Nunquam anguſtior, quàm cum excipiendo Orbi
Sinum laxat.
Hoc Pontifice,
Legitimus Eccleſiæ filius, dubius Pater,
Abdicat Felix non ſuam Infulam,
In ſciſſa Petri chlamyde vitæ integer.
Tunc felicior, cum deſijt Felix eſſe.
Poſt aſſertum Cælo Bernardinum Senenſem
Terras reliquit Nicolaus,
Conſepulto hic cinere,
In quem lapſus à tanta Imperij maieſtate.

AD CALLISTI TERTII

Tumulum

INSCRIPTIO CCXI.

Pont. Calliſtus Pontifex Tertius, Borgia
213. In hoc Auguſtæ Virginis templo
Ann.D Veluti in ſinu matris quieſcit.
1555. Ingenio magnus, virtute maior.
Tyrocinium lucis in Alphonſi Aragonenſis aula poſuit,
Nactus Romæ meridiem gloriæ.
E purpurato breui Pontifex.

Sub

Sub ea mole Imperij Atlas:
Sed ab inſigni ardore animi Hercules,
In Turcarum monſtra clauam expedit.
Concepto Voto, Barbarorum cladem iurat.
Cælum mouet, fuſis precibus:
Miſſis Oratoribus, mouet terras;
Claſſibus mouet maria:
Mouet etiam Acheronta.
Nam Perſas, ac Tartaros concitat,
Vt Mehemetem ipſum armaret in Mehemetem;
Diuexarentque Scytas Tartari,
Tigrides Pardos.
Fuſo ad Belgradum Thrace, ſignifero Capiſtrano,
Aiunt, pugnaſſe militem, viciſſe Calliſtum:
Armis illum, exorato hunc Numine.
Iam, qui foris bellatorem, Romæ Pontificem agit,
Ritè inaugurato Vincentio Ferrerio,
Et Edmundo Anglo.
Fœcunda Calliſti religio gemellos parit,
Nouoſque centuriat in Turcas Diuos.
Vixit, dixit parcè.
Aures nulli negat, poſtulata paucis.
Liberalis illi vultus, ac manus.
Aduentates comitate excipit, munificentia dimittit.
Octogenarius paulò ſupra triennium ſedit:
Vixitque ſatis ſibi, mortalibus parum,
E tanto Pontifice
Nomen hic ſupereſt, & puluis.

AD PII

AD PII SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO CCXII.

Pius Secundus Piccolomineus,
Pont. 214. Ann. D 1558. Æneas olim dictus, futurus Æneadum Princeps:
Et Syluius, cui mira vrbanitas.
A longinquis vltrò, citroque peregrinationibus,
A magno curarum æſtu hic tandem quieſcit.
Natura factus ad Orbis imperium.
In aula Cæſaris Cæſari dominatur,
Lingua, ingenio, vi mentis
Auguſto auguſtior.
Sublimiore mox gradu Pontifex,
Imperij habenas mutauit Romæ faſcibus.
Petri Sedem tutatur ardore Petri.
Regum ſuperbiam, Regulorum contumaciam frangit,
A gemino gladio nunquam non victor.
Multiplici Eccleſiæ malo multorum ope conſulit,
Indicto Mantuano Concilio,
In Turcarum monſtra hic cuditur præſertim faba:
Hæ primæ Pij Secundi curæ:
Hiſce indormit conſilijs vigilantiſſimus Pontifex.
Suo ſtylo, aliorum lingua opus inflammat,
Auro, ferro adeſt.
Armata Claſſe,
Ad ſua claſſica ventos in Thraces prouocat:
Lunis minantur Lunæ Piccolomineæ.
Militem Cruce, milite Crucem armat,

Vt

Vt in hoc ſigno vinceret.
In ſacrorum deinde cultu Pius ter pius.
Aduectum è Peloponneſo D. Andreæ Caput,
Ceu tantum pignus germano Fratri donet,
In D. Petri Baſilica collocat.
Ab hoc Capite Vaticanum abijt in Capitolium:
Vbi viſa ſolenni apotheoſi triumphaſſe Catharina.
Dat Senenſi Virgini aras,
Dat Senenſem Virginem aris
Senenſis Pontifex.
Nec tantis grauiſſimarum rerum momentis
Leui calamo detrahit.
Stylo æquè, ac Infula inclytus,
Dum facit ſcribenda, ſcribit dilaudanda.
Negotia non abrupere otia literarum.
Sua narrat, quòd nullus argumenti dignitati par:
Extera commentatur,
Vt lucem alijs etiam impertiat dictionis ſplendor.
Tullio deeſt Liuius, Liuio Tullius:
Vtrumque Pius miſcuit:
Cuius nunc magnis Manibus
Virtus, religio, ſapientia
Monumentum hoc dicant.

ADPAV-

AD PAVLI SECVNDI
Tumulum
INSCRIPTIO CCXIII.

Paulus Pontifex Secundus;
Sacerdotio, & vice Numinis Maximus,
Exiguo contentus marmore,
Hic ſitus eſt.
In lucem edidit ſplendida Venetiarum Vrbs,
Pectus in eo ſolidum ſi ſpectes, nihil hauſit natalis vndæ;
Ab Eugenio Quarto, auunculo auctus purpura,
E purpura chlamydem ſibi Pontificiam confecit.
Ipſo etiam aſpectu Pontifex,
Vt qui præalto corpore Petri Solio,atq; aſtris videbatur acce-
In Principatu nihil illi antiquius, (dere.
Quàm antiquas Principum ſimultates exſcindere.
Pont. Ruentes in arma
215. Germania, Anglia, Hiſpania, Gallia,
Ann.D Vt mutuos ruerent in amplexus, curauit.
1564. Nunquam ſic armata religio,
Quàm cum exarmati Principes,
Mutuo ſe ſe fœdere complectuntur,
Eò collimabat Pontifex,
Vt iunctis Chriſtiana Europa viribus, Thracem diſcerperet,
Cui, vorata pridem Epyro, ieiunæ adhuc fauces,
Inexpleto ſemper inexplebili Lunæ orbe.
Paulo deinde nihil magnificentius.
Menſas non gulæ, ſed oculis adornabat,
Scena, ac pompa.
Vt diteſceret à gemmis Pontificis vertex,

Viſus Indos expilauiſſe.
Nitebatque Tiara
Scythico igne à pyropis,
Indica niue ab vnionibus.
Illud neſcio, an diuinitati muneris conſentaneum,
Humaniores odiſſe literas.
Quid pulchrius, quàm clara Principum facta
Reddi Maronibus, ac Tullijs clariora?
Aut Phœbo aurigante, ire per ſecula?
Aut Muſarum etiam elegantijs nitere mores?
Sexennis Pontifex,
Diuturniore imperio, ac vita dignus,
Dum molitur magna,
Imperium, ac vitam exuit.

AD SIXTI PONT, QVARTI

Tumulum

INSCRIPTIO CCXIV.

Æternum hoc ex ære monumeentum *Pont.*
Promeruit immortale nomen 216.
Sixti Quarti Pontificis Opt. Max., *An. D.*
Cuius fortitudinem, atque animi robur 1571.
Gentilis Quercus expreſſit.
E præclaro Minorum Ordine
Ad maiorum gentium honores graſſatus,
Simul Minorita, & Maximus.
Purpuram nobilitauit virtus inclyta:

Virtuti præmium ſupremi Orbis faſces fuere.
E ſummo rerum culmine,
Veluti è Mecænatica turri,
Europam flagrantem bellis vidit:
Nec Homericos canit ad citharam verſus;
Sed diſſonos componere Principum animos ſtuduit.
Peregrinari huc, illuc Caduceatores iuſſit,
Vt Irim ferrent, iram frangerent.
Et ſi & ipſum pacis Sequeſtrem tractare arma oportuit,
Ac poſt fœderum legationes legiones inſtruere.
Subacti hinc Reguli,
Pependitque è Quercu Roborea non vnus Abſalon.
At generoſior fax illa pectoris
In Turcas potiſſimùm exarſit.
Sixto auctore, ac auſpice,
Fœderata Principum tela, ac vela.
Fulminatrices enauigant ſyluæ.
Petri cymbula roſtratam abijt in claſſem.
Smirnæ non parcitur:
Nec ſatis tutandæ Patriæ,
Ac placandæ armatæ religioni Homeri plectrum.
Id magnum:
Reuulſa è Setaliæ portu catena,
Vaticano in templo adhuc pendet:
Scilicet, captiuum olim Mehemetem,
Vincit adhuc catena illa.
Romam deinde profanam, ſacram æquè ornat.
Templa hæc facit, hæc reficit.
Dignum Pontifice pontem excitat,
Vt ſui ſtarent triumphali Tyberi arcus.
Laxata fora, conſtratæ viæ, reſtituta mœnia,
Vt vetuſtate abacta, vetus rediret Roma.
Vaticanam Bibliothecam extruxit, inſtruxit,
Vt ingenia expoliret ingeniis.
Poſtremò qui hæc perenni murmure concelebrent,

In-

Inducti Virginei Triuiæ fontes.
Planè nihil actuoſiori huic Pontifici moleſtius,
Quàm ſuos hic cineres quieſcere.

AD INNOCENTII OCTAVI

Tumulum

INSCRIPTIO CCXV.

Innocentio Octauo, Cibo, Pont. Max. *Pont.*
Auguſta hæc excitata ſepulcri moles, 217.
Auguſtiorem eius animum repræſentat. *Ann.D*
Fulſere auorum luce cunabula: 1584.
Reliquam deinde vitam ſua ipſe virtute illuminauit.
Purpuram non tam Pontificis munificentiæ,
Quàm ſibi ipſi debuit.
Euectus mox ad ſummum Principatum
Æquè Patrum, ac virtutis ſuffragio.
Paci ita ſtuduit,
Vt bella gereret inuitus, inuictus.
Neapolitano Regi iratus, comis,
Alterna fronte hoſtis, & Pater fuit.
E Cælo didicerat, cui gradu propior,
Fulgur exacuere, irim pingere.
In reliqua Italia
Tyrannos quidem dare manus iuſſit:
Diſſidentes verò inter ſe ſe Principes, dextras iungere.
Turcis infenſiſſimus:
Id illi prius, feralem Lunæ curſum ſiſtere,

Atque Helleſpontum, vt olim Xerſes,
Iniecta compede, edomare.
Eò auſpice,
Claſſem in Barbaros ornant, conſpirantque cum ventis
Europæ Reges.
Sed difflat Pontificis funus grande conſilium.
Ab hoſte ipſo adamatus,
Munus à Baiazete accipit pluſquam aureum:
Ferrum nempè, quod diuinum olim pectus exhauſit.
Nihil Maximo Pontifici magis ad cor,
Quàm quod ad Chriſti cor tam propè acceſſit.
Semel ſua vulnerauit cuſpide ea lancea,
Amore vulnerabit ſemper.
Adaugendæ mortalium pietati,
Diuorum Concilium adauxit Innocentius,
Inaugurato Leopoldo Auſtriaco,
Quem ſua olim ſanctitas Cælo intulit,
Miſcuitque aſtris Auſtrios.
Illud magni Pontificis tempora felicia fecit, & aurea:
Indicas terras, & opes,
Quà ſol mergitur, emerſiſſe.
Quid admirabilius, quàm tumentia Columbi vela
Grandi puerperio edidiſſe nouum Orbem?
Quid ad Innocentij famam ſplendidius,
Quàm vnum accepiſſe regendum ſceptro Orbem,
Reliquiſſe Succeſſori duos?
Quod verò congeminatus Orbis
Maximo Principi adhuc impar,
Spiritus Cælum petiit.
Cum interim ſatis, ſuperque ſit
Hæc pauco cineri breuis vrna.

AD ALE-

AD ALEXANDRI SEXTI
Tumulum
INSCRIPTIO CCXVI.

Alexandro Sexto Pont. Max. *Pont.*
Stet ſepulcralis hic lapis,ac factum ad vnguem ſimulacrum. *218.*
Aduigilet ipſemet ſuis Manibus, *Ann. D*
Ne qui diſcerpſere olim famam, *1592.*
Cinerem diſſipent.
Principatum is dum petit, ſuffragatur Orbis.
Refragatur, dum regit.
Magnæ indolis, ac mentis Pontifex
Dirâ Aulæ iudicia Cognatis debet.
Domeſtica crimina commaculauere eam chlamydem:
Concitauit publicum odium priuatus amor:
Corrupit Alexandrum Cæſar:
Cæſar nempè, qui poſteà nihil.
Hinc quæ teſa haurire à conſanguineis ſanguinem debuere,
Linguæ, calami;
Pontificem petiuere:
Iacetque in hiſtoriis confoſſus, diſcerptus,
Superſtite nomine,
Quod nullæ obliterauerint literæ.
Non horruit ſcriptorum vulgus maieſtatem,
Quam tremunt Inferi.
Denigrare ſepia Pontificem non erubuit:
Meritò proſcribendi, qui ſic ſcripſere.
Cæterùm ſua non deſiere ſummo Patri decora,
Quid illud? fidei cauſâ amplificandæ,
Ductâ à Septemtrionibus ad Auſtrum linea,
Orbem ex æquo diſſecuiſſe?

Vt

Vt ad orientem Solem, auſpice Ioanne Luſitano,
Oriretur religionis lux:
Ad Occidentem ſub Ferdinando Catholico
Occideret ſuperſtitio.
Patuere hinc Oceani clauſtra' Petri clauibus:
Subactus vterque Indus à triumphali Cruce:
Alter Orbis ab altero victus Alexandro.
Quid vmbram metuerit à nebulonum calamis,
Qui tantum ſplendoris addidit Romanæ rei?
At, muta hiſtoriarum monumenta
An ſurdas iam Pontificis aures læſerint?
Altior illi in hoc tumulo quies,
Quàm vt vllæ excitent, aut aſperent
Mortalium voces,

Idem Tumulus verſibus deſcriptus.

Vittato Alexandro ſtet hic viuus lapis,
Factusque ad vnguem tumulum & exornet ſibi
Is ipſe, magno & excubet cineri vigil:
Laceraſſe ne quos iuuit olim nominis
Famam; audeant nunc puluerem ventis dare.
Dum ſceptra poſcit Orbis, ipſe Orbis probat:
At ſceptra dum Orbis tractat, Orbis improbat.
Sublimis illi mens, & erecta indoles:
At dira Romæ iudicia debet ſuis.
Crimine domeſtico ſacra laborat Chlamys:
Priuatus amor meruit odium publicum:
Hinc ſtrigua, calami, queis peti affinis truci
Facundia debuit, acerbis & modis;
Sacrum petiuere caput, aſtris proximum:
Superſtite & nomine, malè acceptum iacet

Di-

Diris in hiſtorijs, ſtylo exhauſtum graui.
Non ſcriptor audax horruit tantum nefas:
Nec denigrare ſepia erubuit iubar
Diuinitatis, Infulam & ſummi Patris.
Quàm iure proſcribi meret, qui ſcripſit hæc.
Decora at fuere illi ſua: pietatis calet
Studio: Religio vt gliſceret, mundum ſecat.
Ab Auſtro ad Arcton ducitur nam linea:
Sic iura Regum diuidit; & Indos regit
Solis Orientis Luſitanus: & regit
Fernandus occiduos manu, & ſceptro ſuo.
Vterque auitam ſtrenuè curat fidem.
Atlantici hinc pelagi patet Chriſto ſinus:
Tanti patent & clauſtra maris: hinc & Cruce,
Et fracta Petri clauibus regna Indica.
Hinc alter hic Macedo ſubigit Orbem alterum.
A nebulonum calamo an vmbram metuerit;
Splendore tanto qui Latinum auxit decus?
At muta nunc hiſtoria; mutus & ſtylus
Surdas an aures aſpere pulſauerint?
Nempe eſt profundior illi in hac vrna quies,
Quàm dira vt abrumpat Satyra; non illum atrox
Vox excitet mortalium ſomno è graui.

AD PII

AD PII TERTII

Tumulum

INSCRIPTIO CCXVII.

Quem vides hic è regione Pij Pontificis ſecundi,
Pont. 219. Pius eſt Tertius, Secundi nepos.
An. D. Senis natus, maturè conſenuit:
1603. Primo nanque æui flore euaſit in purpuram,
Quam prætexuit virtute, & magna indole:
Vt auguſtius fulgeret ab eo purpura, quàm ab ea ipſe.
Extincto Alexandro Sexto,
Vt Alexandro Succederet Magnus,
In Piccolomineum collimauere vota Patrum.
Affulſit in caligine ſumma temporum
Præclara, at breuis lux.
Heu, præcipites fati vices.
In exortu ipſo occidit Pius:
Electus, ac ſtatim elatus.
Ita ſimul fuere Comitium, Iuſtitium,
Vt ſuas habuiſſe lachrymas voluptas videri poſſit.
Planè, haud omninò triſtes contigiſſe exequias dixeris,
Quando publica non dum deferbuerat gratulatio.
Conſepultus olim Pius propè Pium in Vaticano:
Sed ab eo colle in hanc vterque Vallem translatus:
Et quos ſuo exceperat templo Petrus;
Germanus Petri ſuo nunc fouet ſinu.

AD IVLII SECVNDI
Tumulum
INSCRIPTIO CCXVII.

Iulij Secundi Pontificis Max. *Pont.*
Quieſcunt hic oſſa *219:*
A diuturno bellorum motu. *Ann.D,*
Sixti Quarti Patrui ſepulcro propior, *1503.*
Miſcet penè cum eo cineres,
In quos abijt flamma illa magni pectoris.
Animi magnitudine, erecta indole,
Præaltum æquauit Romæ Solium.
Magnificentia magno Conſtantino maior,
Diui Petri Baſilicam auguſtiorem in formam
Ideò amplificauit,
Vt Conſtantinum ipſum ſuo veluti in theatro vinceret.
Quæ duo pugnare inter ſe ſe maximè videntur,
Sacrorum religio, & arma,
Pulchrum iniere in eo fœdus.
Militantis nempè Eccleſiæ Caput,
Hoſtiæ, & hoſti par,
Dum Deo litat, militat Marti.
Romanis clauibus Cælum aperit, & Iani templum,
Acceptoque à Petro gladio,
Infulata circumfert arma, armatas Infulas:
Vi bellica non impar Cæſari Iulius.
Hinc abacta ab eius fulmine ſumma capita,
Victa Tyrannis, & vincta.
Aſſertis vrbibus Romana Ditio ditior:

Auctum triumphis Capitolium.
Dum à Sole, & puluere
Ad hanc ſe ſe vmbram tumuli aſſerit,
Suas exuuias morti dicat.
Triumphalis Pontifex.

AD LEONIS DECIMI
Tumulum

INSCRIPTIO CCXVIII.

Pont. 202. Ann.D. 1513.

Exuuiæ hic conditæ
Leonis Pontificis Decimi
Habet nanque mors, vt olim Hercules,
Ad terrorem, ad pompam Leonis ſui ſpolium
Tanti olim Principis magnitudinem
Vel vmbræ luculenter commonſtrarunt.
Sub ipſum puerperium
Viſa ſibi mater Leonem eniti.
Nec mendax ſomnium.
Magnificentia, ac regia verè indole
Leonem peperit.
Acceſſitque poſtea Leonis nomen, cum Leo iam eſſet.
Omen item futuri Principatus tredecennis purpura,
Hoc eſt, pene collactanea.
Simul bullatum, ſimul purpuratum puerum,
Diceres Porphyrogenitum.
Ætas mollior, non molliter educata:

Inter

Inter Patriæ, ac ſuorum turbines adoleſcit;
Aſſurgitque robuſtiùs,
Ceu diuerberata aquilonibus quercus.
Ingenio virtus, virtuti ingenium par.
Mirata hæc perinde Romana Aula,
Vt ornandę ſupremis Infulis capiti,
Lentum non expectauerit ſenium.
Penè intra iuuentam Pontifex inauguratus:
Pro canicie vis, & candor mentis fuit.
Anteuertit regium hoc Leonis ſydus ortus ſuos:
Affulſit nempè ætatis vere nouo;
Vt annis florentibus effloreſceret Roma.
Princeps illi virtus, digna Principe liberalitas.
Hoc in ſumma fortuna magnum reputabat,
Augere aliorum fortunas.
Hoc aureum ſeculum condere,
Aurum profundere.
Fouit magnificè, fauitque ingeniis.
Eo auſpice,
Rediuiuæ in media ipſa Italia rediere Athenæ:
Auditum Græcè loqui Latium,
Addituſque ſepticolli Romæ bicollis Parnaſſus.
Inter literarum otia, atque in Muſarum ſinu
Nihil eo Principatu amœnius:
Deerat Auguſti ſeculum, non Auguſtus.
At nunquam diuturni amores Romæ.
In rerum apice non conſenuit Leo.
Nec conſeneſcet inclyta Leonis memoria.
Aliorum verò facundiæ
Nunquam non materiam ſufficiet laudum:
Scilicet, extinctus hic Leo
Non ſuo, ſed aliorum in ore mella ſemper condet.

AD HADRIANI SEXTI Tumulum

INSCRIPTIO CCXIX.

Pont. 221. Ann. D. 1521.

Hadrianum Pontificem Sextum,
Quem tenuit aliquandiù vulgaris vrna,
Splendidus nunc excipit tumulus.
Sed neque hoc marmorum cultu eguit inſignis virtus,
Quæ ſupra omnem operum magnificentiam.
Dedit hunc Orbi
Non Traiectum, vbi natus,
Sed vbi præclaris diſciplinis expolitus, Louanium.
Obſcura è gente clarum fecere literæ.
E liberalium artium ſtudijs euaſit faber,
Sed magnæ fortunæ ſuæ.
Caroli Quinti Cæſaris Præceptor
Capiti Romani Iouis Palladem ingenerauit.
Tantundem hauſit ille ab inclyto Principe ſplendoris,
Quantum eius indidit ingenio eruditionis.
Nihil illo auguſtius,
Cuius Magiſterio formantur Auguſti Cæſares.
Auctus deinde purpura,
Concolor viſus Alumno Magiſter:
Totique mox impoſitus ſummo iure Hiſpaniæ,
Regna adminiſtrat, qui Reges docuit.
Vtrique fortunæ par, pacatæ, turbidæ,
Præfractos populos armis, ac vi mentis frangit:
Reique medetur publicæ vulnere perduellium.
Hiſpanis hiſce habenis Orbis imperio proluſit.
Certantes inter ſe ſe Romæ Purpuræ,
Hadrianum Cælo diſſitum, meritis propiorem,

Vnanimes Pontificem conſalutant.
Non ipſe Romæ notus, non ipſi Roma.
Ab vltimis penè Gadibus accerſitur peregrinus Pontifex,
Oriturque ab occiduis oris Romæ Sol aureus.
Suam in Sedem adnauigat, famulantibus certatim ventis.
Venientem feſto murmure ſalutat Tybris;
Excipitque Hadrianum ſuum tormentorum plauſu
Hadriana moles.
Is verò Aulam, aulicos dum ordinat,
Diuulſum dum reparat patrimonium,
Initia Principatus funeſtat vitæ fine.
Annum vixit, dignus annalibus.
Scilicet, nihil in vitrea fortuna diuturnum.
Hoc ſolidum, hoc ſtabile,
Sepulcri marmor.

AD CLEMENTIS SEPTIMI

Tumulum

INSCRIPTIO ICCXX.

Si quæris, Hoſpes, vrnæ hoſpitem, *Pont.*
Clemens Septimus hic eſt, 222.
Quem non minimum læſit inclementia temporum. *An. D.*
Nec tantum artis eſſe Mediceo potuit, 1523.
Quæ impreſſa religioni, Romæ, Orbi vulnera perſanaret.
Inerat ſapientiſſimo Pontifici vis mentis:
Sed mollior illi indoles, quàm vt Seculi ferrum emolliret.
Arctoa hæreſum monſtra

Dum

Dum putat manſueſcere ſua comitate poſſe;
A ſua mora
Aduertit, additam Hercyniæ alteram belluarum Hercyniam,
Fœcunda nimis improbitate:
Præſertim, quòd virginitate abacta,
Connubia vel è Gynecęis Lutheriani nebulones accerſerent.
Succreuere hinc teterrimæ hydræ capita,
Cum qua dum luctatur nouus hic Hercules,
Extera eluctari arma oportuit, nec valuit.
Perrumpere hoſtes Romæ claſtra.
Nullus, qui acies ſiſteret Horatius,
Nullus, qui fugaret, Camillus.
Diripit ſacram Vrbem auri ſacra fames.
Collucere, iniectis facibus, tecta,
Ne lateret facinus.
Illuſum templis,
Vt viderentur, non mortales modò, ſed Numen ipſum petere
Conſcelerata arma:
Cruentatis etiam aris,
Vbi nonniſi incruenta mactatur victima.
Tutatur moles Ælia Pontificem,
Quem tueri debuit maieſtas oris.
Nunquam adeò munita ea arx,
Quàm cum ſanctiorem hunc excipit Iouem,
Quem millena obarmant fulmina.
Obſeſſam deinde Inſulam redemit auro.
Expoliata Vrbe,
Deerat explendæ auaritiæ expilatus Pontifex:
Qui tandem edomare Martem potuit,
Mortem non potuit:
Cuius triumphum, ac pompam,
Poſitis hic exuuijs, adauget.

AD PAV-

AD PAVLI TERTII
Tumulum
INSCRIPTIO CCXXI.

Paulus Tertius Pontifex Max. *Pont. 223. An. D. 1534.*
Fuſus ære,
Suo hic incubat cineri penè viuens.
Non loqui fuſus marmor hoc debuit,
Quando declamat diſertè fama.
Nihil illi Sapientiæ, ac pietatis defuit,
Vt exprimeret in Paulo Petrum.
Publicam rem perindè procurauit, ceu foret priuata:
Priuatam, ceu foret publica,
Fundato Ciſalpino Farneſiorum Principatu,
Priſcam domum nouis ornauit inſignibus.
Tantundem acceſſit Ditioni ſplendoris ab inclyta Gente,
Quantum inclytæ Genti à Ditione dignitatis.
Nec deeſſe Placentia ijs debuit,
Quorum nunquam non placuere Orbi mores.
Hoc Pontifice,
Anglia inceſtis nuptijs ingens monſtrum peperit.
Se caput Anglicanæ Eccleſiæ Henricus facit.
Hydram hic vides, quæ noua ſoboleſcit in capita:
In quam dum inſurgit Paulus,
Perſanare Britanniæ corpus conatur fruſtra,
Percuſſo, proſcriptoque inſano Capite.
Porrò, quieti Orbis conſulit magnus Pontifex,
Non ſine ſuo motu.
Maior namque ſenio iter non ſemel arripuit,
Vt Principum pugnaciſſimos inermis exarmaret maieſtas,
Affulgeretque Europæ fauſtitas,

Re-

Reſtincta bellorum face.
Clauſo Iani templo,
Facile fuit aperire Tridentinis Cœtibus fores.
Confluxit huc vniuerſa Chriſtiani Orbis eruditio, & probitas.
Manarunt inde eiuſdem Orbis religio, & mores.
Tridente ſua componit Neptunus regna:
Decumanos hæreſum fluctus Tridentum diſſipat.
Poſt cœptum immortale hoc opus,
Vita functus Pontifex.
Maius nempè patrare haud poterat;
Minus nollet.
Viuet nihilominus præcelſum nomen,
Quoad Romana ſtabit religio, quam erexit.

AD IVLII TERTII PONT.
Tumulum
INSCRIPTIO CCXXII.

Ab hac vrna
Pont. Monet ſuæ quemque mortalitatis
224. Iulius Tertius P.M.
An. D. Qui
1550. Supremo licet in ſuorum Montium, ac Vaticani culmine,
Non extra teli iactum fuit.
Ferijt ſummos hoſce Montes
Ineluctabile mortis fulmen.
Quem Etruria Romæ dedit,
Expolinit ad vnguem Roma,

Nec

Nec remiſit Patriæ futurum Orbis Patrem.
Statim à purpura candidatus Pontificatus fuit.
Eò proniora fuere ſuffragia, quò ſublimius meritum;
Purpurato incitatiſſimus fuit in agendo ardor:
Potito rerum deferbuit.
In tanta luce mortalium placuere ſyluarum vmbræ;
Romanam magnitudinem poſthabuit villæ:
Negotia in otia commutauit.
Luſtralem annum ſanctior Ianus aperuit,
Patuitque confluentibus non tam Roma, quàm Cælum:
Hoc Pontifice,
Ex Philippi, & Mariæ connubio renata Chriſto Anglia:
Præclara ab ſterili Regina ſoboles.
Gauiſus tanto puerperio Iulius.
Quod Romam propiùs accederet,
Diuiſa Chriſtiano ab Orbe Britannia.
Sed mutat iterum rerum faciem,
Eliſabetha virgo, & pellex:
Quæ
Si religionem ſpectes, Caluino nupſit;
Si Europæ Principes, omnibus;
Si tædam ipſam nuptialem, nulli.
Decoxit patrimonium cerebri,
Cum ſe Anglicanæ Eccleſiæ caput fecit.
At non diù vitalis hic Pontifex:
Exaruit viridi adhuc ſenio,
Excepitque fatale deliquium,
Cum maximè fulgeret
Iulium Sydus.

AD MARCELLI SECVNDI Tumulum

INSCRIPTIO CCXXIII.

Pont. 225. *Ann.D.* 1555.

Marcellus Secundus Pont. M.
Exuuias hic depoſuit ſuas,
Vt longam quieſceret noctem.
Politiano Patre Picenus,
Expoliſit ingenium literis,
Ingenio literas.
Paulo Tertio intimus,
Ita inter Farneſiana floruit lilia,
Vt in roſam mox euaſerit,
Renunciatus Purpureus Pater.
Adauxitque conchylijs pretium
Candore animi, ac modeſtiæ purpura.
Exin tractare habenas Orbis cœpit,
A publicis curis alter Pontifex.
Concilio Tridentino præeſt.
Magnam eius ineſſe Capiti ſapientia oportuit,
Qui tot capita regeret.
Adgubernanda fuere momenta rerum grauiſſimarum,
Frangenda Nouatorum ingenia,
Eluctanda Principum vota.
Certè Ceruinum licet Marcello genus,
Magnanimitate, ac vi pectoris Leo fuit.
Adhiberi formandis moribus, niſi moratiſſimus non debuit,
Neque religioni exornandæ niſi religioſiſſimus.
Occidente Iulio Tertio,
Auguſtus exoritur Pontifex Marcellus.
Experta olim Roma magnam in Marcellis indolem,

Viſa ad alterum hunc Marcellum ingenti ſpe erigi.
In ipſo ſtatim Principatus aditu,
Ac veluti in cunis,
In conſanguineos ſtudium optimus Pontifex iugulauit.
Abeſſe ſuos iuſſit, ne deeſſet ſibi,
Ablegauit proximos, vt accederet ad gloriam propiùs.
Sed dum ad Aulæ felicitatem
Magno pectore euoluit magna.
Conſilia mors abſtulit,
Exceſſitque intra menſem breuis Pontifex,
Teſſerario ſuo Ceruo longè diſpar,
Qui à longæuitate viuaciſſimus.

Idem Tumulus ſenariolis expreſſus

Longam quieſcit vrna in hac noctem, dies
Cui contigere breues, poſito ſtatim graui
Orbis Latini ſceptro, auguſta & Infula.
Marcellus is eſt: gentile ſtemma prætulit
Ceruum; ſed æuum haud attigit cerui; Petri
Defunctus intra menſem, & Aulæ faſcibus.
Politiano Patre Picenus: probum
Ornauit animum literis: at literas
Ornauit aurea indole, & factis pijs.
Farneſianis intimus: colit ſacra
Dum lilia, erubuit Latinam ipſe in roſam,
Spectatus oſtro, fulgidus & auro comas.
Conchylijs pretium hinc adauxit amabilis
Candorque mentis, regiæ & frontis decus.
Exin habenas publicas Orbis regit,
Immixtus Aulæ, alter foret ceu Pontifex.
Præeſt Tridenti, agmina Patrum & nutu ſuo

Vittata frænat, & miniſtrat grandia
Momenta rerum, Arctoam & abſterret luem,
Et vota ludit Principum, & ſæuas minas.
Ceruinus audit; ſed tot inter, horrida
Monſtra hæreſum, generoſior Leo fuit.
At Iulium dum ſydus occidit, Iubar
Romæ nouum exoritur: capit fræna inclyta
Marcellus, & Chriſti loco fauſtè ſedet.
Dignus chlamyde Marcellus; eſt digna & chlamys
Marcello: & æuum hinc ſperat Orbis aureum.
Documenta ſtatim viſa magni pectoris.
Nam iura frænat ſanguinis: vetat ſuos
Adire Romam: ne deeſſet & ſibi,
Abeſſe iuſſit. Hac it ad Superos via.
At, heu, breues nimium dies: Lunæ fugam
Vix complet, aſtra cum petit Princeps breuis.
Cui claudicare debuere ſydera.

AD PAVLI QVARTI

Tumulum

INSCRIPTIO CCXXIV.

Pont. Vides in hoc tumulo, quiſquis es,
226. Egregiam Pauli Quarti effigiem,
Ann.D. Gratam Pij Quinti munificentiam.
5555. Mutuo ſe ſe Maximi Pontifices honore cumularunt.
Viuentem Ille purpura cohoneſtauit,
Spiranti Hic marmore Extinctum.

Al-

Alter alteri æquè notus.
Attulit Aulæ Paulus eximium genus, ac genium.
Ad vmbram Oliuerij Carafæ, cognatæ nempè purpuræ,
Floruit pulcherrimè prima indoles,
Quam excoluere artes bonæ,
Alluitque laborioſa è fronte imber:
Ad Ferdinandum Catholicum,ad Henricum Anglum
Internuntius,
Pontificis partes, & ſuas miſcuit, egitque Roſciè.
Æquè lingua actor, ac geſtu eloquens.
Infula Theatina, Brunduſina
Proluſit Albanenſi, Sabinenſi, Neapolitanæ, Tuſculanæ,
Oſtienſi, Veliternæ
Chlamydatus Aulæ Protheus.
Ex opulentis ſubindè Sacerdotijs
Viſus cum Thienæo magno pauper Clericus,
Theatino Ordine inſtituto,
Cui patrimonium ſpes,opes inopia,altrix Altiſſ. Prouidentia.
Sed è paupere Clerico Auguſtus Princeps,
Romanum iterum proſcenium ſua nobilitat purpura.
Erubuit, ſalua res eſt.
Impoſitus nanque religioni, moribus,
Vitiorum,hæreſum monſtra mactat; mulctat;
Quæſitor, non Quæſtor.
A ſenio Princeps Auguſti Senatus,
Summo Patri proximus, mox ſummus Pater.
Octonos nanque emenſus Pontifices,
Pontifex renuntiatur Octogenarius.
Nil ea luce fauſtius,
Quæ Orbi Paulum dedit, Paulo Angliam:
Nempè hæc iterum orthodoxa,
Ad Pontificis pedes tum quidem prouoluta,
Publicam fauſtitatem adauxit pœnitudine, ac lachrymis.
At quicquid magnæ mentis conceperat Paulus,
Abſcidere exacuta mox arma.

Re-

Redierat priſcum aurum, niſi agendum ferro eſſet.
Sed ſagum induit, clementiam non exuit,
Bellum tractat, paci ſtudet,
Hoſtiles inter phalanges adhuc Pater,
Complexus mox intimè hoſtem,
Romanæ nempè propugnatorem, & Columen Sedis.
Sancita pace,
Bellum adhuc mouet in ſuos.
Pontificiæ vt conſuleret Domui,
Domeſticos arcet.
Communis Pater exuit Patruum.
Refrixit nempè profundo in ſenio cognatus ſanguis.
Bellis hiſce profligatis,
Conflata in vomeres arma:
Romamque excolit. mores, fidem.
Auſpicari ſe tunc Principatum dixit:
Hinc ſimul ac regnare cœpit, deſijt viuere.
Preſſus annorum mole, contra votum occidit.
Quicquid probri paſſa eſt Statua,
Molita id eſt percuſſa ab eo improbitas,
Quæ canum more momordit ſaxum.
Sed ecce hic animatum Pauli ore,
Alterum præclari operis ſimulacrum.
Rectè exprimitur marmore,
Qui infractus, ac tenax propoſiti ſemper fuit.

AD PII

AD PII QVARTI
Tumulum
INSCRIPTIO CCXXV.

Pij Quarti Pontificis Max. memoriæ *Pont. 227.*
Dicatum hoc marmor eſto : *Ann. D. 1560.*
A quo tamen non niſi ſemimortua extiterit
Immortalitas nominis.
Inſubria dedit cunabula.
Viſus profectò prudentiſſimum dediſse Romæ Principem
Anguis Inſuber.
In cunis, in faſciis dum ageret,
Deſtinatus puer eſt Orbis faſcibus.
Viſa nanque, excurrens per cubiculum flamma,
Alteri Seruio ad imperium præluxiſſe.
Notum Vaticano Pontificis cognomen,
Publicæ incolumitatis omen fuit,
Affulſitque affecto Chriſtianæ Reipublicæ corpori
Mediceus peropportunè Æſculapius.
Morbis Orbis nullum certius præſidium,
Quam inſtitutum ad animorum, morumque formam,
Concilium abſoluiſſe Tridentinum.
Propinata Patrum Conſulta
Salutares fuere potiones, ſorbitiones.
Hinc redijt Chriſtianæ rei color, & ſanguis ſuus,
Difflata Lutheriana peſtilitate,
Iugulata Zuingliana lue.
Temperandis Romanis curis
Adfuit Pontifici Carolus Borromæus,

Auun-

Auunculo nepos, Pio pijſſimus.
Regit Ille Auguſta fronte, hic fama virtutum.
Aſtris alter dominatur nutu,
Alter aſtra conſcendit diuinorum ſenſu,
Vterque Deo propior,
Vitta Ille, Hic vita.
Communem verò morum cultum
Cum Romæ cultu coniunxit Pius.
Exuere ſenium Templa iuſſit:
Regias ſternit vias ad iter gloriæ:
Aquam Virgineam
Extra Vrbem diù diuagatam, ac penè exulem,
In Vrbem reuocat.
Thermas Diocletianas honori magnæ Matris conſecrat,
Eluitque profana balnearia Mariano nomine.
At enim dum genti mortalium miniſtrat Alexiteria
Mediceus,
Conſulere ſaluti ſuæ nequijt,
Illætabili exhauſtum letho,
Hoc in tumulo clauſit ſuprema neceſſitas.

AD PII QVINTI
Tumulum
INSCRIPTIO CCXXVI.

Quem meruit Pius Quintus ſplendorem tumuli, *Pont.*
Nactus hic gratitudine Sixti Quinti. 228.
Qui, quòd viuenti rependere purpuræ beneficium nequijt, *Ann. D*
Extincto impertijt cineri: 1556.
Exhibuitque ſpiranti in marmore veluti rediuiuum.
Cum interim ſolidam tanti Pontificis virtutem
Idem exprimat marmor.
Vides? Hæret hic, excubat adhuc Romæ, & Orbi Pius:
Allatrauit, allatrat in fidei perduelles:
Dediſcere non poterat, quam olim hauſerat
A ſui Ordinis Cane vigilantiam.
Audijt & latratus hoſce Turcarum Luna.
Pio auſpice,
Eruditæ in claſſem Europæ ſyluæ;
Addita non armatis nauibus ſed armamentarijs remigia;
Suſpenſa non antennis, ſed procellis adnauigantibus vela;
Bellum, tempeſtatem, naufragia
Othomanicæ potentiæ importarunt.
Detonuit ad Echinadas ſuo è conclaui Pius:
Triumphali prece vicit:
Vidit fugientem pelago Lunam,
Diffractamque Barbarorum non tam claſſem, quàm audaciam,
Diſſeminatis per omnia littora Chriſtianorum trophæis.
Gratum hoc illi truculentiſſimæ excidium Gentis;
Hic cruor Pium decet.
Nouam deinde in Turcas
Dum molitur claſſem, & cladem,

Te Ad

Ad aſtra velificat;
Vt ſuppetias magno operi è Cælo petat.
Nec totus reliquit terras:
Adeſt ſub hoc lapide ſui parte,
Et calente adhuc cinere,
In Crucis hoſtes
Tacitus meditatur grandia.

AD GREGORII TERTII DECIMI

Tumulum

INSCRIPTIO CCXXIX.

Non hic ad Heſperidum hortos,
Pont. Sed ad pretioſiores auro cineres,
229. Excubat Draco Boncompagnus.
An. D. Iacet hic nempè Gregorius Tertius decimus Pont.
1572. Gregorio illi Magno virtute proximus,
Vt tumulo.
In Nouatores inſurgere vetus illi cura.
Pij Quinti, & Infulæ, & præclaræ mentis hæres,
Tyrannum pelagi Turcam exagitat,
Nauigatque Gregorianus Draco
Ad exitium Thracum.
Dum Turcas inſequitur, à Iaponibus adoratur.
Admiſſa Euangelij luce,
Hanc veluti ſtellam Gens ea ſequitur,
Vt ad Pontificis veſtigia procumberet:
Longiſſimæ peregrinationis haud vile pretium putant,
Sacro-

Sacrorum pedum oſcula.
Emendatiſſimi Gregorio mores,
Quorum ad exemplar emendare Cælum ſtuduit.
Terras rexit, correxit ſydera,
Æquè mortalium cenſor, & Planetarum.
Quod non exerrent amplius errantes ſtellæ,
Illi debemus.
Viſa quippè, eo Principe,
Contineri in officio tempora,
Accepiſſe legem aſtra,
Suas Sol, ſuas habuiſſe periodos Luna:
Cæperuntque decurrere inculpatè ſecula,
Gregorio aurigante;
Cui non ſatis noua condidiſſe luſtra,
Niſi magnificentia feciſſet & aurea.
Pietati, religioni vectigale aurum ſuum fecit:
Non rogatus erogat,
Ac penè liberalitatis prodigium, prodigit.
In ſpem ſtudiorum, ac morum
Excitat vbique terrarum epheborum Collegia,
Vt aleret in iuuentæ flore fructum,
In herba ſegetem:
Informatqne ingenia nationum,
Vt Orbi conſuleret vniuerſo.
Nunquam Gregorius conſeneſcet
A Gregoriana hac pube.
Quòd ſi mori iuſſit communis neceſſitas,
Iubet viuere maior fato virtus.

AD SIXTI PONT. QVINTI
Tumulum
INSCRIPTIO CCXXVIII.

Pont. 230. Ann. D 1585.

E Diui Franciſci cinere
Elatus ad purpuram, ac ſupremos mundi faſces;
E purpura, ac faſcibus
Iterum dilapſus in cinerem,
Iacet hic Sixtus Quintus Pont. Max.
Ad naſcentis Numinis cunas conſepultus,
Vt non tam mori, quàm naſci videri poſſet.
Quod expoliuit olim auro, ac marmore Sacellum,
Ornat nunc ſuo puluere.
Patria illi Montaltum:
Quid humile expectare ab eo Orbis poterat?
Suſpexere Montem hunc altum ſepteni Colles,
Poſtquam Sol hinc Picenus affulſit Romæ.
Qui, exuto Felicis nomine, abiit in Sixtum,
Non ideo felicitatem Vrbi non attulit.
Securitati cum primis populorum cauit,
Graſſatorum ſecuris, & vindex.
An eo regnante Vrbs floruerit,
Horti Exquilij, & manantes vbertim fontes commonſtrant.
In templo principe tholum ſuſpendit,
Non vltra ſydera, non citra nubes.
Viſa ab ea mole ſemetipſa ſuperbior Roma,
Quam etiam ad Cælum extulit non vna Pyramis:
Planè, vt adnauigaſſe huc Memphim,
Ac Sixto iubente,
Inuexiſſe moles ſuas dixeris.

Vi-

Vides, tanti Principis magnificentia
Ab ipſis Cæſarum vrnis reuixiſſe Phœnicem Vrbium.
Æmula deinde tecta Laterana, Vaticana,
Pulchro fœdere Cælo certant.
Nec vnum debebatur ter magno Principi domicilium.
Eruditioni an fauerit ſapientiſſimus Pontifex,
Bibliotheca ipſa vel muta diſertè loquitur.
Enata olim Pallas è Iouis capite,
Viſa in Caput hoc mundi
Immenſa cum voluminum copia redijſſe.
Æternat alios vnus, aut alter excuſus liber:
Hunc integra Muſæa literarum.
Poſt tot immortalium operum monumenta,
Mortalitati ſuæ cauit hoc monumento.
Quieſcitque ſuæ in ſinu magnificentiæ,
Hic extinctus, ſuperſtes vbique.

AD VRBANI SEPTIMI

Tumulum

INSCRIPTIO CCXXIX.

Nihil. ſumptuoſi operis in hoc tumulo *Pont.*
Vrbani Pontificis Septimi. 231.
Commiſerata præceps nimium funus ipſamet vrna, *An D.*
Cultum omnem reſpuit. 1590.
Ab indole, à moribus,
Vrbanus is fuerat, antequam eſſet:

Pon-

Pontifex verò hoc affici nomine voluit ceu ſuo.
At dum Vrbanum Vrbs ſibi gratulatur,
Vidit è ſummo Vaticani vertice corruiſſe.
Verſatilis hæc oppidò ſcena fuit:
Modò obſequia, & ſtatim exequiæ,
Pontificem Septembris attulit, Septembris abſtulit:
Menſis idem natalis, ac funebris,
Viſus mutaſſe ingenium.
Qui dies, ac noctes æquat ſua lance,
Longam Vrbano noctem fecit, breuem diem.
Proh! quantus ereptus Pontifex!
Expoliuerant virtus, eruditio, ſapientia.
Virtutem verò, eruditionem, ſapientiam,
Expoliuerant Legationes, Magiſtratus, rerum vſus.
Gregorius XIII. inter Auguſtos adoptauerat Patres:
Viderat nanque acerrimo obtutu Gregorianus Draco,
Quid magno in pectore lateret indolis.
Is autem ſpes Orbis luſit.
Fuga ſe ſe alij proripuere, ne legerentur:
At Vrbanus, qui deprecari ſummam Infulam nequiit,
Poſt ſuffragia Patrum morte ſtatim dilapſus,
Latet; latebit in hoc tumulo.

AD GRE-

AD GREGORII QVARTI DECIMI

Tumulum

INSCRIPTIO CCXXX.

Gregorij Quarti decimi Pont. Max. *Pont.*
Precariam Principatus Inſulam, 232.
Quæ decimum vix menſem exceſſit, *Ann. D*
Videtur lapis hic extendere. 1590.
Tu diuturnam, aut ſolidam ne putes gloriam,
Quam balbutiunt ſaxa.
Patria illi Vrbs ea ingens,
Quam alteram dixere Romam:
Fuitque vnius Romæ Parens, alterius ſoboles.
Paterna purpura clarus, ſua clarior,
Patris amplitudini reſpondit, & ſuæ,
Ingenio, pietate, indole.
Auitam Domus lucem
Inumbrauit mox ſplendore Tiaræ Principis.
Summus illi honor nomen mutauit, non mores.
In tanta rerum affluentia
Id Illi primum, effundere:
Tantum abeſt, vt augerent ſitim epotæ vndæ.
Annonæ caritas
Charitatem magni pectoris acriùs excitauit.
Ieiuna reliqua Italia,
Romana horrea redundarunt.
Redemit is nempe copioſiore aurò copiam.
Hinc Romani populi votorum ſumma,
Vt diu viueret,
Qui Romanorum vitæ tam ſplendidè aduigilaret,
Di-

Dignus ſuo nomine Gregorius.
At flagrantibus hiſce vocibus
Surda fuere aſtra.
Elatoque paucos intra menſes Pontifice,
Viſa hic cum eo conſepulta
Vota, gaudia, ſpes omnium..

AD INNOCENTII NONI
Tumulum
INSCRIPTIO CCXXXI.

Pont. Innocui mores magno fecere Parenti
233. Nomina, quem gelidus contegit iſte lapis.
Ann.D Lilia quàm meritò cineri, violæque ſepulto
1591. Debentur: vitæ Symbola nempè breuis.
Nanque ille euectus rerum ad faſtigia, ritu
Florum, eheu, volucri viſus abire fuga.
Vix faſces libat: tenuit vix fræna bimeſtre,
Triſtis cùm tanto à funere Roma dolet,
Quos varijs humeros curis durauerat, aulæ
Moribus haud impar, ingenioque minor,
An reſponderent terrarum in mole ferenda,
Haud potuit ſubita à morte probare diù.
Quam breuis illa chlamys, ſceptrumque volubile, cerne:
Diſce, honor an vitreus? frangitur, vt nituit.
Abſque mora morimur: monumentaque cœca parantur
Momentò: pereunt, an periere dies?

AD CLE-

AD CLEMENTIS OCTAVI Tumulum

INSCRIPTIO CCXXXII.

Quem vides, Hoſpes, tumulum,
Maximus Pontifex Maximo Pontifici,
Clementi Paulus poſuit, *Pont.*
Excitato è regione gemino, non tam Pontificum, *234.*
Quàm maieſtatis ſimulacro, *An. D.*
Quodam gloriæ repercuſſu *1591.*
Adaugetur ſplendore ſplendor,
Fulgentque ora mutua dignitate diuiniùs.
Reſpondit ſacrorum hic Princeps ſuo nomini
Clementiæ laude.
Iuſtitiam verò perindè adamauit,
Vt nulla frangerent officia pectoris adamantem.
Crimen abſoluiſſe, crimen putabat.
Quæ olim, relictis terris,
Ad Aſtra euolauerat Aſtræa,
Dixiſſes è Cælo rediiſſe cum aſtris Aldobrandinis.
Fuerit Cæſarum cura, ac decus,
Latiùm latiùs extendiſſe:
Laxauit Romanæ rei fines Clemens.
Sed quanto feliciùs!
Nam diſcerpſere illi Aquilarum vnguibus Regna;
Exſcidere funditùs populos armorum turbine:
Clementi ſubditur Ferraria ſine ferro.
Vidiſſe, viciſſe fuit.
Quas olim ad Padi ripas mœror,
Nunc lætitia Phaetontiadum elicuit lachrymas,
Plaudente ad Tybris victoriam fluuiorum Rege.

Ad cumulum gaudiorum
Lectiſſimam Reginarum Regum potentiſſimo
Aurea nuptiarum compede Ferrariæ innexuit.
Gratulata Regina eſt,
Non ante ſublime Viri Solium conſcendiſſe,
Quàm ad Pontificis pedes procubuiſſet.
At, Hiſpanos exhilarat Reginæ connubio,
Gallos Rege.
Henricum Nauarræum, auitæ religioni reſtitutum,
Auito reſtituit Regno.
Quid Pontifici grandius?
Quam Regnis impertiri Reges,
Regibus Regna?
Hoc maius,
Suis conuellere è ſedibus Chriſtianum Orbem,
Expiare Luſtrali anno,
Offerre vltrò ſydera, & Cælum.
Viſi ad Pontificis pedes populi;
Ad populorum pedes Pontifex.
Mirata Roma eſt,
Prolui auguſta Clementis manu veſtigia pauperum,
Ac nitere à ſordibus Maieſtatem.
Vernare etiam flore nouo
Chriſti Eccleſiam Clemens voluit,
Inaugurato, adſcriptoque in Sanctorum cenſu
Hyacintho.
Quis crederet?
Adauxere ver Empyrei Poloniæ hyemes,
Habueruntque Hyacinthos ſuos
Immortales Cæli horti.
Tandem ſapientia, quàm æuo maturior,
Laſſus annis, non fractus,
Spiritum in ſinu gloriæ poſuit:
Ornatque ſplendidũ hoc à Pauli munificentia monumentũ,
Vmbra magni nominis.

AD LEO-

AD LEONIS VNDECIMI Tumulum

INSCRIPTIO CCXXXIII.

Leo Vndecimus Pontifex Mediceus, Pont.
Depoſita ſtatim mole terrarum, 235.
Minimè defeſſus, hic tamen quieſcit. Ann.D.
Affulſiſſe, effluxiſſe penè idem fuit. 1605.
Nulli tam vitrea fortuna, quæ ſtatim fracta.
Calente adhuc mortalium plauſu,
Refrixere inaugurati vix Pontificis membra.
Neſcias, Principatum inierit, an fatum?
In ipſo aſcenſu præceps.
Acerbiores hinc lachrymæ, quò mors maturior:
Fuitque vulnus immedicabile, Mediceò erepto.
Transmiſſa egregiè vita Optimum Pontificem adpromiſerat.
Nec luſæ ſpes Orbis forent, aſtra ſi claudicaſſent.
Cerne, Hoſpes.
Nil magno Leoni iuuere vis pectoris, indoles, iubæ,
Quid Leones mors horreat,
Quæ Hercules demetit?

AD PAVLI PONT. QVINTI
Tumulum
INSCRIPTIO CCXXXIV.

Pont. 236. An. D. 1605.

In ſplendidiſſima hac Æde
Nec degere ſplendidiùs magna Dei Mater
A Pauli Pontificis magnificentia,
Nec ſanctiùs quieſcere Paulus ipſe potuit;
A magnæ Matris patrocinio, ac vmbra.
Vides Maximum Pont. in grandi marmore penè ſuperſtitem,
Ceu viuat à conſpectu Virginis,
Animetque chlamydatam ſtatuam Marianus Sol.
Scilicet, quam coluit viuens Cæli Reginam,
Pergit de genu colere,
Religione inter mortuos Manes non intermortua.
Nihil hoc Pontifice feliciùs:
Auſpicatus à bello Principatum,
Pacis deindè artibus fortunauit.
Vides magni Generis ſtemma?
Non Iouis armiger, non Draco terret.
Rediję, abiecto fulmine, priſca Romanorum Aquila:
Excubat communi tranquillitati peruigil Draco.
Vrbibus ſplendori deſudant certatim Tibur, Paros.
Hoc Pontifice,
Æterna verè dici Vrbs poteſt,
Solido è marmore compactilis.
Nihil nunc auguſtiùs Petri templo:
Vt excreſceret,
Expectanda amplitudo tanti Pontificis fuit.
Habuere Niues Exquiliæ,

Vn-

Vnde candorem adaugerent ſuum :
Nempè, & à magni Pontificis pectore,
Et à niueo marmore,
Quo Virgineam hanc aram excultam vides.
Aſſurgunt præterea tectorum minæ, ac moles,
Vt inferant aſtris Pauli nomen.
Quo etiam iubente, Romam petiere noui amnes.
A monte aureo præcipites ſe ſe dant argenteis vndis :
Deprædicante Paulinam magnificentiam aquarum murmure.
Splendida hæc quidem : illud ſanctius.
Conſecraſſe Diuorum Par.
Franciſca Romana Romanis iure inſeritur Faſtis.
Carolo Borromæo adolemus meritò thura,
Qui Zelo fidei adeò flagrauit.
Demum à tanto rerum cultu
Viſa penè rediuiua ſuo è cinere vetus Roma,
Vt contingeret Paulo,
Superſtiti par Sedes,
Extincto par tumulus.
Scilicet, quamuis in Mariano hoc Sacrario
Quieſcant magni Manes,
Attamen, quam exornauit ſplendidè Romam,
Tota illi ter ampla vrna eſt.

AD GRE-

AD GREGORII QVINTI DECIMI Tumulum

INSCRIPTIO CCXXXV.

Pont. 237. *Ann. D* 1621.

Gregorij Quinti decimi Pont. Opt. Max.
Impar hic lapis exuuiis;
Vel ipſe magnæ Animæ cinis magnus eſt.
Bononia, quæ genuit, venerata eſt Patrem,
Roma, quæ excepit aduenam, adorauit Principem.
Illa ſtudiorum altrix habuit ab eo, quod diſceret:
Hæc Orbis Domina in iucundiſſimis duxit, illi parere.
In primis Vrbis ſubſelliis
Rudimentum poſuit primæ Sedis:
Viſa Romana illa Rota fortunam allaboraſſe.
Infula maior Bononienſi,
Auguſti Senatus numerum adauxit, & pondus,
Purpuram indutus, non faſtum.
In ſubalpina Italia Caduceator,
Facundia præferuidus bellorum faces reſtinxit.
Per ea armorum nubila
Affulſit Iris aduerſo hoc Sole.
Elato deinde Paulo Pontifice,
Delata illi ſumma Infula.
Suffragia haud corrupere mora Patres.
Media ipſa hyeme perinde incaluere vota,
Vt facto impetu, nondum penè lectum, adorauerint.
Viſi bis dediſſe, quod dedere citò:
Vt appellari iure poſſit bis Pontifex, ter Maximus.
In Principatu vigil,
Vt menſuram impleret nominis.
Ad Vrbis ſplendorem

Ex-

Expoliri curauit mores, non ſaxa:
Scriptis legibus, non inſcripto marmore,
Æternare nomen voluit.
Qua deinde floreret religione Gregorius,
Oſtendit fertilis ab eo Diuorum ſeges.
Nunquam vberior annona Sanctitatis,
Donata ab hoc Pontifice Romano thure
Lectiſſima Sanctorum manu:
Vt non geminos,
Sed quinos vno puerperio fœtus dederit:
Gregoriana religio.
Inter mundi curas.
Fractas corporis vires vis animi reparabat.
Tandem exuere mortalitatem oportuit propiorem Deo,
Fleuitque breues amores ſuos Roma,
Gratulata poſthumæ gloriæ.

AD VRBANI PONT. OCTAVI

Tumulum.

INSCRIPTIO CCXXXVI.

Vrbani tumulum non hæc ſpirantia ſigna,
Sed decorat virtus inclyta, & ipſe cinis. *Pont.*
Nam licet haud culto ſteterint ſimulacra ſepulcro, 238.
Nomine ab auguſto ſat monumenta nitent. *An. D.*
Scipiadum ritu dextrâ quòd vicerit Vrbem 1623.
Munifica, Vrbanum nomine iure vocant.
Et quòd barbariem ingenio proſtrauerit, Illi.

Vi-

Victa dedit meritò nomina barbaries.
Dicitur & bellè Octauus, miracula mundi
Quòd ſeptena auxit moribus egregijs.
Ludere cum Muſis, volucremque agitare diſerto
Alipedem plectro, & pectine, dulce putat.
Itque per Aonidum areolas, & per iuga Pindi,
Phœbæum & grandi è pectore pendet ebur.
Qui citharæ cultus! fuerat nam quicquid amœni
Moribus, ad Muſas tranſtulit ipſe ſuas.
Acceſſitque Viro grauitas à pondere mentis:
Hinc Aulæ plauſus, purpura,& Orbis amor.
Hinc ſceptrum capit Imperij, faſceſque verendos,
Fulget & auguſta in fronte Latinus apex.
Eſt ſimul ipſe ſui Princeps; ſimul Vrbis, & Orbis:
Fræna tenet Romæ ſplendida, fræna ſui.
Relligio præit, & Luſtralem conſecrat annum,
Sydereaſque ſinu è diuite ſpargit opes.
Vrbem nempè ſacram mundo,Cælique ter ampla
Templa aperit, plena donat & aſtra manu.
Tum Vaticano decus addit; & ardet ab auro,
Atque Corynthiaco fulget ab ære Petrus.
Thure nouo fumant, auctis altaria Diuis,
Et Luſitanis flagrat Eliſa focis.
Curſinuſque flagrat, ſupremis additus aſtris,
Ignea cui feruent pectora, plena Deo.
Scribitur hinc faſtis Andreas, inde Thienes:
Hic clari ſoboles Ordinis, ille Parens.
Auget & Imperium. Vrbinum nanque additur Vrbi,
Metaurumque iubet ſubdere ſceptra Tybri.
At paci cauet, atque armamentaria condit,
Millena & rigido à pariete tela micant.
Quàm bene prædurum parit aurea Secula ferrum,
Excubat & populis penſilis ille chalybs.
Quin & bellatur: Phlegræo at fulmine parcit,
Excuſſo & tonitru, ſat monuiſſe fuit.

Ter-

Terrarum at curis feſſus, ſub pondere tandem
Deficit, & fato cedit anhelus Atlas.
Ære vides fictum; ceu maieſtate ſuperſtes,
Viuat, & exuto haud Principe, regnet adhuc.

Is idem ſoluta oratione Tumulus

Hunc Maximi Vrbani tumulum,
Non tam ficti ære vultus, ac ſpirantia penè marmora,
Quàm Vrbanus ipſe nobilitat.
Ornandæ inclytę memoriæ,
Quamuis ſimulacra deeſſent, & parerga artis,
Sat eſſet conſepultus ciuis, & tantum nomen.
Appellatus priſcorum ritu
A deuicta beneficijs Vrbe
Vrbanus:
A triumphata laude ingenij barbarie
Barberinus.
Inter Orbis miracula meritò Octauus.
Luſiſſe cum Muſis, proluſiſſe ſapientiæ fuit.
A moribus ad poeſim tranſtulit elegantiam.
Moribus verò acceſſit grauitas à mentis pondere.
Per Aulæ munia graſſatus ad purpuram:
Bis tincta ea quidem, ſucco muricis, & laude modeſtiæ.
In ſummo deinde Principatu
Animus illi erectus, ac ſui Princeps.
Maieſtatem non Infulæ, ſed fronti debuit.
Diuinitatem muneris
Cumulabat foris ſplendor, intus religio.
Luſtralem annum aperit Chriſtiano Orbi.
Venientem cæleſti excipit congiario,

Reditque domum hoſpes melior, ac ditior.
Vaticano templo additus à Barberina magnificentia cultus:
Diuorum Simulacra penè loquuntur
Ad Vrbani elogium.
Fuſa mirè æra, columnæque,
Et ſacro Apoſtolorum cineri,
Et Maximi Pontificis pietati
Pretium faciunt.
Pulchrum illi exornare Sanctos ære, ac auro:
Hoc pulchrius,
Sanctos facere ara, ac prece.
Hinc Luſitanam Reginam Eliſabetham,
Sua primùm virtute redimitam.
Solenni deinde Apotheoſi coronat ſanctiùs.
Tùm nouum Carmelo, ac Florentiæ florem addit,
Dedicato ritè Andrea Curſino,
Feſulano Antiſtite Sanctiſſimo.
Curæ illi præterea publica ſecuritas.
Armamentarijs paci cauet.
Quod indole verè aurea
Romæ condidit ſeculum aureum,
Munit ferro.
Viſus maximè Pater; cùm fulmen exacuit.
Sat illi Principes monuiſſe bellorum tonitru.
Quæ à tanti Principis magnitudine
Viſa ſeipſa maior Romana Ditio;
Creuit deindè terrarum ſpatiis,
Addito Vrbi Vrbino, & Metauro Tybri.
A diuturna tandem terrarum cura
Quieſcit hic magnus Cinis.
Aſpicis ter ampla ex ære ora?
Regit adhuc ſupercilio Vrbem,
Fama Orbem.

AD IN-

AD INNOCENTII PONT. DECIMI

Tumulum

INSCRIPTIO CCXXXVII.

Innocentius Pontifex Decimus *Pont.*
Non ſuo hic in tumulo iacet. 239.
Peracto curſu vitæ *Ann. D*
Adhuc peregrinatur extinctus, 1644.
Splendidiùs nempè quieſcet
In excitata magnificentiſſimè Æde ſacra,
Quæ D. Agneti templum, illi Mauſoleum erit.
Pulchrè in ſinum Agnetis euolabit Pamphilia Columba:
Quam dixiſſes veriùs Aquilam,
A regia quadam oris ſpecie,
A peracuta mentis acie,
Ab indole magni pectoris.
Elimatus non vna in aula,
Inter grauia momenta rerum incanuit, inclaruit Innocentius.
Molem Imperij robuſta ſubijt ceruice,
Longæuus iam Hercules,
Cui cor inerat Leonis, non ſpolium.
Hinc maieſtas, cui comes comitas,
In Europæ motu immotus.
Pacis artibus aliena bella in triumphum ſuum vertit:
Intentus ſuæ oleæ excolendæ,
Armis licet circumſonantibus.
Baſilicas, quà extruxit, quà inſtruxit baſilicè.
Fora vndis labentibus exhilarauit,
Coactis peregrinari Gange, & Nilo,
Ac mutuare Romanis fontibus ſuos imbres.
Ædes excitauit, nullo venales auro,

In foro licet proſtent.
At, qui Principatum ſerò capeſſiuit,
Non ſerò exuit.
Debuit profundè conſeneſcere,
Vt iuueneſceret Roma:
Quæ modò ad tumultuarium hunc tumulum
Æterni doloris indices,
Inſtaurat lachrymas, & luctus ſuos.

AD ALEXANDRI SEPTIMI
Tumulum
INSCRIPTIO CCXXXVIII.

Pont. Hic ille magnus conditur, libens, volens
240. Qui fata ſubit vltima, & Parcam trucem
Ann. D Ceu prouocare voluit, inſtructa citò
1656. Vrna, ſepultos quæ fouet Manes pios.
Vix nanque Romanos capit faſces, comas
Relimitus auro, & ſede eburna prominet;
Cum funus agitat, expedit plumbum graue
Grauiore ſenſu, tumulum & accurat ſuum.
Vrnam praire plumbeam catus iubet,
Quos auſpicatur aureos Regni dies
Maximus Alexander, vices meritus Dei,
Cultu Mineruæ, mentis indole & graui.
Olim diſerto notus Aonidum choro,
Pindi per ardua ſuctus ire, barbito
Inſignis aureo; vigeret lætior

Cum

Cum flos iuuentæ, candidi irent & dies.
At Roma Muſis inuidet tantum decus.
Vt vidit, vt mores probat: nulla & mora,
Ornare Latialem Infulam, poſita Lyra,
Subire & Aulæ munera actutum iubet.
Iura hinc Quirini temperat, & hinc exteras
Interpres Aulæ Romulæ ad terras euolat,
Ionijs dat vela ventis, tum beat
Quas lambit vndis corniger terras Padus;
Et quà bicornis fluctuat Rhenus, vices
Facundus ore Romuli tenet Patris.
Præclara tandem facta condecorat sacro
Collata capiti purpura, & princeps honor.
Lucetque virtus clariùs iubare hoc nouo.
Nec ſiſtit: aptatur humeris mundi Chlamys,
Nexumque Petri clauibus ſceptrum capit.
Ardet pyropo crinis, auguſtum & caput,
Placetque vultu dignitas, ore & decor,
Dum Roma plaudit, vltimo è mundo ſuos
Regina Suecos inclyta, domum & ſplendidam
Imbuta Chriſto temnit. Auguſtus videt
Trophæa fidei Pater, & oſculis pedes
Libare Sceptrigeram ſacros: vultus graues
Rigat voluptas, vbere fluens lachryma.
Exarſit ardor mutuus; certant ſimul
Vtrinque comitas, ſtudium, & amor pius;
Moribus at interim regit mores ſuis
Princeps ſacrorum: eſt legibus ſuus vigor,
Eſt pœna noxis, exulat terris ſcelus.
Augentur aræ Heroibus nouis, noua
Et thura fumant: aureum micat iubar
Saleſij, Largifluus & Thomas micat.
Cultum nec Vrbis temnit: expolit fora,
Laxatque templa, porticus, ædes, vias.
Quà Vaticanus ſurgit, arduam vide

Ex

Ex ære molem, quæ rutilum & aurum vomit.
Hic ficti anhelant pondere à graui Patres,
Terris verendam & ſuſtinent Sedem Petri.
Non culta Memphis, ſedula nunquam manu
Babylon ter ampla hæc edidit miracula.
Hic mutus hæret hoſpes; hic paſſim ſtupor
In ſaxa abire cogit immotos viros.
I nunc, repanda cerne prægrandi ſinu
Theatra, mole vaſta, cultu ſplendida.
Non Tibur operi par: columna ſuſtinet
Millena porticus; & arcus penſiles,
Longoque ſimulacra ordine excurrunt ſupra.
Auctore moles digna: is ipſe animat, ſuo
Et implet illam nomine, & fama ſua;
Dum gentium plauſu fruitur, aſtra auferunt
Heroa terris: ſceptra bis denos regit
Annos: Latina & functus Infula, ſibi
Quam ſtruxit vrnam, tenet: & intra ceu latens
Velum, tacitus hic excipit laudes ſuas.

CLE-

CLEMENTIS PONTIFICIS NONI

Elogium

Afluctus iam *Chriſt.*
Tot Maximorum Pontificum virtuti ſuſpiciendæ, *Ann.*
Aude calame, *1667.*
Ad Clementis Pontificis Noni Solium aſſurgere.
Elimari ſtylus exercitatione, ac vſu debuit,
Vt tantum deinde argumentum attingeret.
Aude,
Ne te maieſtas illa oris terreat,
Quando ipſamet, quam præfert nomen,
Addit ſtimulos Clementia.
Si neſcis,
Quàm Clementis nomen,
Antiquior illi fuit clementia.
Erat iam, cum nuncupari ſic cœpit.
Non indoles, non facta;
Deerat nomenclatio.
Poſita nunc bono in lumine virtus hæc regia,
Romæ amores vehementiùs excitat:
Quos inſuper vt alat, ſtatim annonam laxat,
Vt augeat, minuit vectigalia.
Plauſere inſigni munificentiæ immunes populi,
Mirati effuſe,
Grauatum tanta mole rerum Principem
Eò neruos contendere,
Vt ſuis leuarentur oneribus ſubditi,
Eſſetq; vni Pontifici grauis ſua Infula.

Ma-

Magnum hoc, conſuluiſſe Romanis ſuis:
Illud maius, Europæ cauiſſe tranquillitati.
Quæ namque mutua ardere charitate par erat
Cognata Regum pectora,
Exarſere iterum odijs,
Repetitis bellorum motibus.
At non adeò ad timpana, ad claſſica
Obſurduere eorum aures,
Quin mitiora inſtillaret conſilia Clemens.
Reſtincta hinc bellorum fax, feſtis ignibus celebratur:
Exanimatiſq; ac victis penè Regibus,
Triumphat Romæ Pontifex.
Nulla interim illi quies
A bello Cretico,
Cætera Clemens, excandeſcit mirè in Turcas.
Addit Leoni Veneto vires, ac flammam,
Ad immanium Belluarum ſtragem.
Templa, hoc eſt, Cæli armamentaria,
Frequens adit,
Vt tela inde ad Gentis excidium ſeligat.
Supplicationes, vt Caſtrorum acies, inſtruit:
In impiam Lunam vrget pia aſtra.
Claſſes etiam adornat,
Centuriatis, ceu leuis armaturæ militibus,
Ventis.
His & ſtrenuos addit Commilitones
Petrum, & Mariam Magdalenam,
Quos dum ſolenni ritu aſtris inſerit,
Viſus armaſſe in Thraces
Duo belli fulmina.
At haſce deprædicauerit laudes Cretenſis non mendax.
Mitto nunc publicas, ac proniores omnibus aures,
Auditque hinc meritò Clementiſſimus.
Mitto cotidianas pauperibus epulas,
A porrigentis manu Pontificis lautiores.

Mitto in Noſocomijs Comitatem:
Adeſt, ſtudetque hic decumbentes erigere
Et manus, & linguæ auro:
Planè vt felicitas ſit, ægrotaſſe.
Perge, Pontificum Maxime;
Sic tibi ſuperſtes tu eris.
oſtquam incolumi corpore diù vixeris;
In omnium animis æternum viues.

MAVSOLEA
CAESARVM,
ET REGVM
AVSTRIACORVM

IMMORTALI AVSTRIACORVM CAESARVM, AC REGVM GLORIÆ

POſt Romanos Pontifices, hoc eſt, ſapientiſſimos, ſanctiſſimoſque terrarum Rectores, ac ſyderum, Vobis, Auguſti Cæſares, ac Reges, inuictiſſimæ Domus ſumma Capita, inclyti aurigæ Orbis, Catholicæ firmamenta religionis ſtylum, curaſque noſtras addicimus, perſtringendæ duntaxat Veſtri nominis amplitudini, immortalique Auſtriacorum gloriæ: nam tanti Generis, tot Heroum decora, tot clarorum operum monumenta, atque integros rerum Veſtrarum Annales vix animo complectimur; tantum abeſt, vt æquari dictione poſſint. Incomparabili virtuti Veſtræ, animique magnitudini vt par contingeret Imperium, ire trans anni, Soliſque vias oportuit. Hinc laxare Natura ipſa ſinum viſa eſt,

vt quando non vnus ſufficeret Orbis, alterum adderet: hinc perrupta Oceani clauſtra, domituſque, ac fractus ipſe Oceanus, quem non Hercules fregit, qui tot domuit monſtra: hinc ſupraque infraque aſpectabilem mundum à Veſtro ſupercilio, ſceptroque leges: hinc regnatrices illæ, ac triumphales Aquilæ, poſtquam ſuis vnguibus, ac fulmine Romanis diù militaſſent, amplificato ad Orientem, ad Occidentem Latio; cùm non aliam dominatu Orbis dignam agnoſceret Gentem; Vobis, cumulata Romanorum gloria, inſtauratis triumphis, adauctis Regnorum faſcibus, congeminato gentium omnium plauſu, militarunt. Iam, quando fuſæ longè, latèque terræ, ac maria ampliſſimæ incrementa Domus, fortunamque Auſtriacam non capiunt, ſtylo ipſe exciperem? Quota pars ea fuerit, quam in tanta argumenti magnificentia accuratiſſima licet ſcribentis ſtudia, ac literæ expreſſerint? Itaque, Veſtra, Animæ magnæ, carptim delibaſſe, ornandæ videlicet ſcriptioni meæ, abundè fuerit. Et ſi quicquid ideſt, quia Veſtrum, non ſanè exiguum: atque adeò non minimùm profectò conciliauerit dignitatis calamo, dictioni cultus, famæ ingenio, Mauſoleis Veſtris magnificentiæ.

MAV-

MAVSOLEA CAESARVM, ET REGVM AVSTRIACORVM.

AD RODVLPHI PRIMI Tumulum

INSCRIPTIO PRIMA.

In mero gloriæ meridie *Chriſt.*
Effugere huiuſce ſepulcri vmbram nequijt: *Ann.*
Rodulphus Abſpurgenſis Cæſar, 1273.
Fortuna ſua magnus, ſuorum maximus.
Promeruiſſe Romani Imperij faſces parum fuit,
Quando hæreditarios eos fecit inclytæ Domus.
Hic ille Auſtriaci fundator Nominis;
Hic tanti ſanguinis ſcatebra;
Ab hoc capite illa extitit coronarum congeries.
Virtutem legauit, fortunam alligauit
Suæ Genti.
Pietate in primis aſtra conciliauit Auſtriacis.
Aſpicis? equum Euchariſtico cedit Nnmini:
Nunquam celſior, quàm cùm equo deſilit.
Vidit, quamuis intra velum, Deus
Eximium Rodulphi obſequium:

Vt

Vt vicem penderet,
Pro equo habenas, ac fræna Orbis dedit.
Hinc tanta à cæleſti hac fruge honorum ſeges.
Ab hoc etiam Euchariſtico Agno
Æquè mites, ac præliares hauſit ſpiritus.
Hoſtes ita ſternit, vt erigat.
Teſtis Sueuus, Cymber, Bauarus,
Quos & vicit manu, & vinxit clementia.
Cum Othocaro, Bohemiæ Rege actum lepidè.
Victus à Cæſare, iurat is in verba Cæſaris.
At latere intra conopèum dedecus ſuum dum putat,
Laxatis ex arte funibus, patuit ſcena.
Spectante aula, erubuit Bohemus,
Ceu tùm quidem exhauſtus non vno vulnere,
Sanguine purpurasceret.
Fuit hæc altera Rodulphi palma,
Altera Othocari clades.
Hoc bello adepta, adempta Auſtria,
Immortali generi nomen fecit.
Quæ deinde, quis crederet?
Vtriuſque Orbis capax,
Quicquid eſt terrarum, ac marium,
Suo complexus eſt ſinu.
Iam, qui intra iuuentam capeſſiuit Imperium,
Quod penè conſenuerat:
Senex ita reliquit,
Vt penè repubuiſſe videri poſſet.
Septuagenario maior obijt,
Abſoluto perindè gloriæ, & vitæ penſo;
Tumulatur hic auguſtus Cinis;
At nihil hinc vmbræ magno Nomini.

AD RO-

AD RODVLPHVM I. CAESAREM

EPIGRAMMA.

Clara per auguſtos creuit Gens Auſtria faſces,
Perque tot Heroum nomina, totque Duces.
Subdi regna Viris certant: ſceptrumque Latinum
Neſcit ab æterna longiùs ire Domo.
Et quòd tergeminus Genti non ſufficit Orbis,
Dat fæcunda Orbes Indica terra nouos.
Quis tot ſceptra addit ſceptris? quis & aggerat Orbes?
Quis facit, Auſtriadum pulſet vt aſtra Domus?
Hoc Rodulphe tuum eſt: nimirum è diuite trunco
Spargitur in ramos gratia, forma, decus.

AD ALBRETI PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO II.

Audi, hoſpes, ab hoc marmore
Dignam Cæſare indolem,
Indignum Auſtriaco fatum. *Chriſt. Ann.*
Hic ſitus Albertus, *1298.*
Dux Auſtriæ Primus,

Auſtriadum Cæſar Secundus.
Genus Rodulpho Patri debet,
Trabeam ſibi.
Superſtite adhuc Adulpho Cæſare,
Dictus Romanorum Rex, & mox Imperator.
Viſæ celerrimè præuolaſſe Romanæ Aquilæ,
Aut addidiſſe præcoci virtuti alas.
Exauctoratus Adulphus, auctorato milite,
Albertum adoritur.
Collatis ſignis, Cæſaris manu cæditur,
Iacturamque Imperij cumulauit iactura vitæ.
Alberto accedit Bohemia:
Largiturq; vltrò fortuna Regnum;
Aderat nempè virtus, quæ regeret.
Æuum deinde ferro terit.
Duodecies cum decertaſſet,
Quot prælia, tot palmas numerat.
Gloriarum manubiæ Bohemi, Moguntini, Bauari.
Solitus ſuperare manu hoſtes,
Inuidiam non vicit.
Veneno petitur:
Ad inſidijs nempe,
Quem nullus aperto Marte vicerit.
At veneno excuſſo, ferrum dolo accipit,
Fuditque vitam, ac ſanguinem à manu conſanguinea:
Tanto funeri præluxit Cometes:
Qui ſoluto ad luctum crine,
Viſus necem prænuntiaſſe inuitus.
Inſculpta huic tumulo trophæa Cæſaris,
Eodem Cæſare triumphato,
Mors ſibi arrogat.

AD ALBERTVM I. CÆSAREM

EPIGRAMMA.

Rodulphi Albertus Soboles, virtute Parenti
Magnanimo haud impar, imperioque fuit.
Quot bella aggreſſus, pulchras tulit, auſpice Marte,
Tot palmas: quæuis pugna triumphus erat.
Inſidijs tandem petitur: poſt dira venena,
Inuidia occulto perficit enſe nefas.
Indignus fato Cæſar: ferrum excipit atrox
Intrepidus: dolor eſt, ſic cecidiſſe dolo.

AD FRIDERICI TERTII

Tumulum

INSCRIPTIO III.

Magninimi Alberti ſoboles, è Cæſare Cæſar, *An. D.*
Conditur hoc tumulo Fridericus, nomine Pulcher; 1314.
Pulchrior at cultu virtutis, & indole pulchra.
Poſtquam præcipiti fatum illætabile caſu
Meſſuit Henricum, ſolioque excuſſit ab alto,
Quis regnet? vacuas Orbis quis prenſet habenas?
Fulmineuſque Ales cui militet igne triſulco?

Incertum; pendetque anceps, & fluctuat Aula:
Et mox vna duas in partes ſcinditur vrna.
Pars fauet Auſtriaco, pars eſt propenſa Bauaro:
Explicat ille Aquilas, Aquilas atq; explicat ille.
Nec mora: falcati decertant vnguibus vngues.
Nil curæ, quid iura velint: nanque arrogat audax
Ipſe ſibi cauſam Mauors, litemque perorat
Ære graui, & ſtricto dira in certamina ferro.
Octonos tonuere annos bella aſpera; & iram
Ira acuit; diro fit dirior enſis ab enſe.
Tandem palma fauet Ludouico: belliger acri
Auſtrius haud impar Marte, haud vi pectoris, hoſtis
Effugiſſe manus nequijt, nexuſque; diùque
Captiuus premitur, fortuna, & carcere maior.
Mox liber, dominuſque ſui: ſic fœdera nempè
Pacta vtrinque, eſſet tituloque, & nomine Cæſar,
At Solium, & ſoli Ludouico cederet Aulam.
Faſces, non animum poſuit: de Cæſare tanto
Reſtat adhuc Cæſar; fronte idem, & moribus idem.
At mox fata vrgent; iuuit nil bellica virtus,
Nil genus: immites faſtum preſſere Sorores.
Sæua triumphalem Auguſtum mors ipſa triumphat,
Exigua & Magnus Fridericus conditur vrna.

AD FRIDERICVM III. CAESAREM

EPIGRAMMA.

Et virtus, & prona Orbis ſuffragia ſummum
Ad decus Imperij te, Friderice, ferunt.
Æmula ſed vulgant Ludouicum vota: Latinos
Inuolat in faſces, frænaque vterque capit.

Hinc

Hinc ſciſſum Imperium : pugnat cum Principe Princeps,
Certat & Aula Aulæ ; Mars & vtrinque furit.
Vinceris, Auſtriace, Auguſti tibi nomina reſtant;
Nomen, & Imperij fræna Bauarus habet.
Ne cecidiſſe putes Fridericum è Culmine tanto :
Dum cadit, eſt animo celſior Imperio.

AD ALBERTI SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO IV.

Albertus Secundus
Dux Auſtriæ, Romanorum Cæſar, *Chriſt. Ann. 1438.*
Sigiſmundi Cæſaris gener, non degener,
Hic ſitus eſt.
Romanos faſces,
Inter Germaniæ Principes diù peregrinatos,
Poſt alterum ſeculum ita Is ad Auſtriacos reuocauit,
Vt Auſtriacos fecerit.
Sciſſum Sapientum vulgus :
Hi melius naſci;
Hi melius dari Principes, aſſerunt.
In Auſtriacis conuenere ſententiæ :
Et naſcuntur, & dantur.
Pulchrè Comitia fœderantur cum ſorte naſcendi.
Deſignant cunæ, quos vrna eligit.
Albertus, annos ſi numeres, breuis Cæſar;
Si pendas, diù vixit.

Im-

Imperij biennio æquauit decadas.
Negas, aut clarorum operum curſum
In tanta temporis anguſtia;
Aut anguſtiam temporis in tanta rerum geſtarum mole.
Sarmatas profligauit,
Vicitque æternas eorum hyemes Alberti ardor.
Morauos ſuas intra ſyluas coegit,
Vt belluas tuerentur belluæ.
Theſſalonicam nutu, non armis expugnauit.
Amurathem è Pannonia terrore nominis expulit:
Venit, vidit Turcarum Rex,
Albertus vicit.
Armorum gloriæ pacata reſpondit virtus.
Æquè domi pius, ac foris ſtrenuus.
Erogare aurum, euibrare ferrum perindè nouerat.
Eruditâ in cultum Numinis trabeâ,
Cucullatus videri in aula potuit.
At quæ citò maturuit virtus,
Maturiùs mors decerpſit.
Extinctum excepit Regalis Alba.
Sigiſmundi exuuijs additæ Alberti exuuiæ,
Trimphum mortis
Congeminarunt.

AD ALBERTVM II. CAESAREM

EPIGRAMMA.

In caſtris ardens, fortiſque Albertus: in Aula
Viſus ab eximia relligione pius.
Hinc fuſi bello Thraces, domitique Moraui,
Territi & Auſtriaco fulmine Sauromatæ.

En-

Enſe dein poſito, mores ſic format, vt aſtra,
Araſque aſſiduus mente, animoque terat.
Eſt Cæſar, ſi caſtra vides; ſi ſacra, Sacerdos:
Ceu Marti pietas nubit, & arma ſacrat.
Inclyte, ne, Cæſar, palmis Capitolia quæras;
Relligio ipſa tibi nempè triumphus erit.

AD FRIDERICI QVARTI
Tumulum
INSCRIPTIO V.

Dux Auſtriæ, Fridericus hic Quartus iacet, *Chriſt.*
Meritóque pace fruitur alta, turbidos *Ann.*
Qui Martis impetus, & armorum truces 1440.
Odit minas, Bellonæ & ardentes faces:
Non ſtudia Scipiadum placent, ſemper manu
Queis fulmen, ore & bellicus furor fuit:
Pacata ſed cunctantis indoles Fabi,
Et lenta virtus placuit, & mentis quies.
Procul ira præceps: magna conſilium graue
Momenta rerum peragit: & plura is ſedens
Agit, alij quàm fulmine, & ferro ſuo.
Hinc bellicoſum pacat Iſtrum, fluctibus
Diris minantem: hinc Auſtriæ flammam iubet
In cinerem abire leuem; hinc furentis Belgij
Componit arma, bella dum calent fera.
Sic Marte pulſo, libero terras pede
Obire liber potuit, & mundum ſuum.

Ad

Ad regna tendit Itala; vulſa ſedibus
It ſepticollis obuiam Roma: inclytum
Lætà ſalutat fronte Cæſarem; ſimul
Fronte inclytam lætâ ſalutat Coniugem,
Geminum Latini ſydus Imperij & Pharon.
Neque mora: vtrumque redimit auro Principem,
Qui temperat nutu aſtra, Numinis & vices
Princeps ſacrorum, ſummus & hominum Parens.
Gratatur Æneadum Domus; feſto & Tybris
Gaudet ſuſurro; plauſibus Roma & calet.
Auguſtus hic dum fræna terrarum tenet,
Inſigne prodijt opus artis, peruigil
Quod lucubrauit ſtudium, & eximius labor.
Inciſa nempè litera, aut plumbo graui,
Aut ære ſolido, nigram vbi addas ſepiam.
Et quàm bene, & quàm citò notas altè imprimit.
Dum præla ſudant, & gemunt; volumina
Centena momentò ærei ſignant typi.
Creuere ſtudia, creuit auctorum ſeges,
Facta & diſertis mentibus lux publica,
Æternitaſque bonis tributa literis.
At, quando, te regnante, magnum hoc datum,
Friderice, munus, his perennabit typis
Æterna virtus, indoles, nomen tuum.

AD FRIDERICVM IV. CAESAREM

EPIGRAMMA.

Conſilio valuit Fridericus; mente profunda
Librat & Imperij commoda lance pari.
Nil præceps, peragit nil ſtricto fulmine; cuncta
Cunctando prudens perficit, atque mora.
Sic bella eliſit, ſic eluſitque cruentas
Clades, ſic terras pax, populoſque beat.
Martia ſit virtus alijs: qui regna tuetur
Mente ſagax, ille eſt Cæſar, & ille Pater.

AD MAXIMILIANI PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO VI.

Latere hic auguſtos Cæſaris Manes,
Conſternatæ commonſtrant Aquilæ.
Hæ, si marmoreæ non eſſent, *Chriſt.*
Fierent, amiſſo ſuo Ioue. *Ann.*
Maximilianus is eſt, Friderici filius, 1486.
Maior nomine,

Ideoque Maximus, quia Optimus.
Nouennium mutus tacuit:
Loqui infantiam noluit, ne quid ineptiret.
Poſtea vſque adeò diſertus,
Vt diſertiſſimi quique ſtupore defixi,
Audiendo obmuteſcerent.
Aquiſgrani Caroli Magni diademate inauguratur:
Viſus libenter inſignia capitis commodaſſe
Magnus Maximo.
Attemperata illi pace, ac bello indoles.
Innutritus armis, ſtudia aluit.
Ne quid regnis ſuis deeſſet felicitatis,
Philoſophari Principem voluit.
Hiſtorias æquè euoluere, ac ſcribere,
Argumentum ipſe hiſtoriarum, & ſeges.
Id etiam curæ, vt exteri Principes Academias excitarent:
Vt vbique terrarum ingenia parerent
Virgines Muſæ.
Iam, arma ſi tractaret Maximilianus,
Dixiſſes, præter haſtam, & clypeum,
Nihil vnquam mutuatum à Palſade.
Cum Heluetijs, cum Belgis, cum Gallis
Signa ſæpiùs contulit.
Victor ea vſus modeſtia, ceu fuiſset victus:
Victus ea animi magnitudine, ceu victor.
Res illi cum Venetis.
Senſit Germanum hunc Herculem Leo Italus.
Suſpenſæ ex Aquilæ vnguibes exuuiæ
Trophæa fuere Cæſaris.
Othomanum, quem veriùs dixeris Centimanum,
E Croatia expulit.
Auſtriaco, non Thracibus,
Fauit Mars Thracius.
Nunquam defuere bella Cæſari:
Nunquam bellis Cæſar.

Poſt

Poſt Imperij annum alterum ſupra trigeſimum,
Ab aſſidua armorum arena,
A ſole, & puluere
Quieſcit in vmbra, & cinere.

AD MAXIMILIANVM I. CÆSAREM

EPIGRAMMA.

Facundus colit vt Muſas, arteſque Mineruæ
Cæſar, ſic belli dura palæſtra placet.
Dum ſcribenda facit, ſcribit facienda; Lyceo
Par docto, Marti par rigidaque manu.
Scilicet, eſt illi ingenium verſatile: Athenas
Nunc adit altiloquas, nunc Marathona petit.
Ales an Auſtriadum docet hoc? nanque aſpice doctos
Hinc calamos; hinc & fulmina cerne Iouis.

AD CAROLI QVINTI Tumulum

INSCRIPTIO VII.

Chriſt. Ann. 1519. Ter magnum magnus quem non capit vnus, & alter
Orbis, & Oceanum, Eoum indignatus & Indum,
Solem vltra, & rerum metas extendit Iberos
Faſces: Ille olim Cæſar, nunc puluis, & vmbra,
Aut nihil; inuiti hanc fato compulſus in vrnam eſt.
Forte rogas nomen? nulli non agnitus ille
Carolus Auſtriadum Pharos, & penetrabile Martis
Fulmen, & Imperij cuſtos, geniuſque Latini.
Olli tot palmæ, terris tot ſparſa trophæa
Mille ſimul laudes peperere, & nomina mille:
Audit & Hiſpanus, Gallus, Solymæius, Afer,
Thracius, Italicus, Germanus, Belgicus, Indus.
Si iuuat Auguſti partos numerare triumphos;
Decertata manu forti fera bella per orbem
Enumera, nunquam pulchris non Marte ſecundo
Æquauit palmis pugnas, & bella trophæis:
Atque iram quoties inuicti Cæſaris Ales
Armiger exacuit dira in certamina, viſus
Et lacerare acies, ſuſpendere & vnguibus hoſtis
Exuuias, ſpolijs rediiſſe & victor opimis.
Decolor hæc Rhenus, teſtatur decolor Iſter:
Murmure & vnanimi hic, aiunt, qui fræna momordit
Aurea, perdomitus Cymber: rubuere rebelli
Sanguine & hi campi: hic victus, vinctuſque ſuperbus
Saxon, & hic fuſis terrore phalangibus, Heſſus
Fractus, tela ſui Iouis illætalia ſenſit.
Proh, quam ſub gelidis caluere Trionibus arma

Au-

Auſtriaci! ſi tamen vndiſono quà fluctuat amne
Abdua; & Inſubriæ quà terras alluit vndis
Ticinus vitreis: ſuſcitare hic Celtica ſigna
Cernis, & immenſas Ararim vomuiſſe phalanges.
Auſpicijs inuictus adeſt; & nominis vmbra
Carolus, eſtque metus pro Cæſare: claſſica pugnam
Dira canunt: acies miſcentur: cominùs ardet
Ira minax: premitur pede pes, & milite miles.
Nec mora: perrumpit fortis fuſa agmina Iberus,
Victas datque manus, clypeoque exutus, & enſe
Gallus: fronte ferox, poſitis inglorius armis,
Captiuus Rex ipſe fuit pars magna triumphi.
At quò dire fugis, Solymane! an milite tanto
Septus, adhuc metuis victricis fulmina dextræ?
Non Aſiæ robur, non mixtus Thracibus Indus
Dant animos! pauidum te Cæſar territat vnus!
Scilicet, & Libycos etiam fugat ore Tyrannos
Carolus intrepido: ærata vorat æquora claſſe:
Ariete turritas Tunetis diuerberat arces.
Disiectæ patuere fores: itque obice nullo
Miles, inacceſſam ferro populatur & vrbem:
Vna ſalus Regi, fugiſſe, & cedere regno.
At Mars Auſtriacus Libycos iterare triumphos
Dum cupit; en iterum volitare per æquora puppes
Roſtratæ; indicunt iamque æra tonantia bellum.
Africa ne pereat, præceps vetat Africus, atque
Coniurata phalanx ventorum; quique miniſtrat
Fræna procellarum, tempeſtatumq; ſuperbus
Æolus: incurrunt dirè facto agmine: miſcent
Puppeſque, & pelagus: diſciſſaque turbine claſſis
Vndas naufragas ſorbet, ſorbetur ab vndis.
Aſpicis hæc, Cæſar, nec mutant turbida vultus
Æquora, non euri rabies; non naufraga pinus.
Cladibus es maior: non obruit vnda ſerenum
Pectus, magnanima dominaris & indole ventis.

At poſtrema ſuos numeret generoſa triumphos
Relligio. Emerſere Herebo monſtra horrida ab imo
Hæreſeon: terras inceſtant: polluit Arcton
Fuſa lues: creſcit non vno vertice peſtis
Ramoſa, & ſæua innumeros vomit hydra colubros.
Cæſaris armatur pietas: hoc Hercule monſtra
Territa: qui Superis intentant bella Gygantes,
Hoc Ioue disiecti: patrias hic vendicat aras,
Hic leges, & Vaticani hic iura tuetur.
Iam, populos viciſſe armis; ſtrauiſſe potentum
Regum acies; domuiſſe vrbes, regna altera auitis
Regnis iunxiſſe, & patrijs ſceptra aurea ſceptris:
Magnum opus: at maior tibi, Carole, adorea creſcit.
Nimirum tantam conſtanti pectore molem
Regnorum, & mundi trabeam ſpreuiſſe ter amplam,
Et faſtus calcaſſe tuos, & paupere tecto,
Te victore ſimul, victoque egiſſe triumphum;
Pulchrius hoc: palmas inter pulcherrima palmā
Hæc fuit: hæc Cælo, & meritis te miſcuit aſtris.
Deciduum dant victi hoſtes, atq; agmina cæſa
Nomen; at æternus victo ſis Cæſare Cæſar.

AD CAROLVM V. CAESAREM

EPIGRAMMA.

Qui Carolum inuictum terris, pelagoque, volucri
  Viderit huc illuc ire, redire gradu;
Et bella enumeret ſuſcepta, illata ſeuero
  Marte, & tot forti parta trophæa manu;
Non vnum bello Carolum exarſiſſe, ſed vno
  Dixerit in Carolo mille latere Duces.

Pu-

Pugnaces Græcorum animas quid fabula iactat,
Miræ molis equum continuiſſe ſinu?
Vnus hic Atridas, Curios, Fabioſque, mareſque
Scipiadas grandi in pectore Cæſar habet.

AD FERDINANDI PRIMI

Tumulum

INSCRIPTIO VIII.

Ereptus Orbi *Chriſt.*
Ferdinandus Primus Cæſar, *Ann.*
Ita abijt, vt æquè marmori, ac cineri 1588.
Extet impreſſa firmiter virtus poſthuma.
Apricatus olim in iubare ſummæ dignitatis,
Gaudet nunc huiuſce ſepulcri vmbra.
Bohemiæ, Vngariæ, Auſtriæ,
Styriæ, Carinthiæ, Tirolititulos,
Romanos ipſos faſces;
Illud ita clarat, vt etiam inumbret;
Fuiſſe nempè, Caroli Quinti fratrem.
Splendidum quid eſt Auſtriacus Sanguis;
Splendidius, Caroli conſanguinitas.
Tantum ab Sole hoc ſplendoris
Germano fratri inuritur,
Vt Pareliam videns,
Nemo non alterum dicet Carolum fratrem Caroli:
Nimirum ſub paludamento Cæſaris
Auguſto Caſtori auguſtus Pollux ſimillimus:

Vt

Vt non ſatis agnoſcas, quis Ferdinandus, quis Carolus.
Planè ſubacta regna, victoriarum cumulos
Non vides in Ferdinando.
Scilicet, ita omnia occupauit Carolus,
Vt nihil reliquerit fratri, quod vinceret.
Frui tamen dedit trophæis ſuis, ſua gloria:
Veluti æquè populos ſuperaſſet,
Æquè in poſteritatis memoria triumpharet
Inclytum par Fratrum.
Illud etiam Ferdinando decorum,
A Pio Quinto Auguſti nomine inſigniri.
Auſtriacæ pietati additum nonnihil pietatis à Pio.
Stimulus is etiam fuit,
Vt graſſantem impium Lutherum frangeret
Inflammatus à Pio pius Cæſar.
Vna hæc Lutheriana bellua
Integra Hercynia videri potuit:
Dum monſtrum putas, fuere monſtra.
Capita non tam progerminauit, quàm vorauit:
Deglutiuit nempè populos, & populorum Principes.
Gratulatus Ferdinandus eſt,
Hac tempeſtate Tridentinam Synodum abſolutam.
Ab hac putauit, profligatum ſedendo bellum.
Extare deinde in vno volumine armamentarium,
In decretis Patrum panopliam,
In paginis, in verbis, in ſyllabis tela,
Quæ perfidiam delerent funditus.
Quòd nihil ſibi adpromitteret iucundius, ac maius,
Si diutiùs viueret,
Obire diem ſuum voluit poſt Imperij ſeptennium.
Vmbris hic ſilentibus,
Permiſſum marmori pauca hæc loqui.

AD FER-

AD FERDINANDVM I. CAESAREM

EPIGRAMMA.

Pertæſus ſcepcri Carolus, chlamydiſque Latinæ,
Imperij poſita mole, quieuit Atlas.
Ferdinandus adeſt humeris, orbemque ter amplum,
Et tantum ceruix inclyta portat onus.
Nec grauat immenſum pondus, nec pectora anhelant:
Quam ſint Auſtriadis fortia colla docet.
Ille Atlas, fuit hic Alcides: fallor: vtrumque
Alcidæ melius dixeris eſſe pares.
Cæſaribus ſiquidem Herculeas poſuere columnas,
Metaque virtutis Cæſar vterque fuit.

AD MAXIMILIANI SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO IX.

Qui Ferdinando Patri ſucceſſit in trabea,
Maximilianus Secundus, *Chriſt.*
Eandem deinde trabeam vnà cum mortalitate *Ann.*
Exuit, vt Pater. 1565.
Obnoxij fato Cæſares:
Nullum in mortis falcem falcatæ Aquilæ ius.

Hoc illi in tumulo quies,
Quam naturâ adamauit,
Mitiore hancque ingenio
Per clauſas Iani portas
Inire gloriæ templum voluit.
Aurei decurrunt dies cultu pacis:
Quid illos vſu ferri efferamus?
Quæ dulcia ſunt naturæ munera,
Quàm fœdè corrumpimus bello?
Indormimus clypeo, galea bibimus,
Cruentis epulamur manibus.
Quid ad mortalium frugem ærata ſeges in campis?
Ad diſcordiarum ſemina
Æquè arua ſterileſcunt, & mores.
Sciuerat Maximilianus,
Principem, ſi bella gerit, triumphare in Capitolio;
Si paci ſtudet,
In cordibus populorum.
Hinc illi princeps labor communis quies.
Et ſi reſumere Aquilam ſuum fulmen oportuit,
Vt è Pannoniæ ceruicibus depelleret Turcas.
Eiuſmodi bellis nil pulchrius.
Nihil æquè laudabilius,
Quàm diuulſum è terræ ſinu ferrum,
In ſinu condere Barbarorum.
Maximiliani ſceptris addunt ſceptra
Polonorum Comitia.
At dum moratur lentus,
Præteruolat de more
Quæ moram odit, fortuna,
Comamque ſuam, & coronam obtulit Tranſyluano.
Pertæſus pompam omnem, & ſcenam
Citra luxum Maximilianus luxit.
Biſſenos regnauit annos,
Hoc eſt, votis gentium parum.

AD MA-

AD MAXIMILIANVM II. CAESAREM

EPIGRAMMA.

Pectore magnanimo, Cæſar, non defuit ignis,
Arſit & armorum gloria auita ſinu.
Attamen & Geticum Martem indignatus, & arma,
Gaudes, abiecto fulmine, pace frui.
Quid frontem iuuat auguſtam redimire cruenta
Fronde? quid aſſiduo corde ſitire neces?
Orbem, Cæſar, amas; & amaris, Cæſar, ab Orbe:
Nullus, quem peteres, hoſtis in Orbe fuit.

AD RODVLPHI SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO X.

Inclytus hic poſtquam ſeptem cum laude Rodulphus 1576.
Rexit Olympiadas ſceptra Latina, iacet.
Auguſtam mundi trabeam, ſceptrumque Bohemum.
Pannoniæ & faſces, hæc ſimul vrna tegit.
Magnanimo haud impar Primo virtute Rodulpho
Alter hic, aut bello, aut pace Rodulphus erat.

Maieſtas inerat fronti, vultuq; micabat,
    Quæ magno arderet vis generoſa ſinu.
Relligio curæ: puppiſque, & prora Rodulpho
    Relligio ſimul huic otia, & arma dicat.
Hæreſeωn portenta horret, iugulumque rebellem
    Enſe petit; placet hæc hoſtia cæſa Deo.
Vellet, perfidiæ ceruix foret vna ſuperbæ,
    Nempe vno vt caderet vulnere tota ſimul.
Impetit & Thraces, mundi monſtra altera: viſus
    Alcide maior, non minor Auſtriaco.
Byſtoniæ haud arcus Lunæ, non cornua terrent:
    Inuicto eſt adamas pectore, & arma manu.
Itque animæ plenus, mergitque in viſcera nota
    Iſmaridum ferrum, quod rotat ira ferox.
Cædibus erubuit ſæpè Iſter; cogitur auctus
    Sæpè cadaueribus tardiùs ire gradu.
Quin centena ſimul ſunt millia cæſa, ſepultis
    Pannonia exuuijs non ſatis vna fuit.
Poſt domitum Thracem, pacataque regna, quieſcens,
    Viſus & ipſe pio funere pace frui.
Æterno dignus plauſuq; & nomine: iure
    Additus Auſtriadis Auſtrius, aſtra tenet.

AD RO-

AD RODVLPHVM II. CAESAREM

EPIGRAMMA.

Rodulphi quondam geladam regnantis ad Arcton,
Rodulphe, & chlamydem, & nomina iure geris.
Nempe ambo Auſtriadæ, fuit ille vt origine Primus,
Inclyta ſic nulli fama ſecunda tua eſt.
Par virtus bello, haud diſpar fortuna, ſacrumq;
Ardens relligio pectus vtrumq; beat.
Miſcetis laudes, geminoque Parelia ſole
Cernitur Auſtriadum congeminare iubar.

AD MATTHIAE CAESARIS

Tumulum

INSCRIPTIO XI.

Sceptro, Pannonius, Bohemus, atque
Auorum veteri Auſtrius corona,
Tandem & Romuleo potitus Orbe, *Chriſt.*
Et biuerticis Alitis timendus *Ann.*
Igne fulmineo, hac ſepultus vrna 1612.
Frater magnanimi iacet Rodulphi,

Mat-

Matthias, tenuis, leuiſque puluis.
Germanus niue pectoris; Latinus
Pura religione; nobilique
Virtute Auſtriacus, tonante Cæſar
Dextra, fronte ſciens ſerenus, acri
Et vultu rigidus tenere ſceptra.
Mordet aurea fræna dum Bohemus,
Auguſtæ improbus & rebellat Aulæ,
Auſus temnere ſceptra, Numiniſque
Sacra, & Cæſaris abrogare iura.
Altè detonat ille, tùm lacertos
Armat fulmineos coruſcus enſis;
Audaceſque metu priùs ſubactos,
Armis poſt domuit, manuque forti.
Diram Pannoniæ luem, improbæque
Monſtra perfidiæ petit: coercet
Huſſitas: vetat impias patere
Scholas ingenijs: vetat doceri
Mentes peſtiferam eruditionem.
Inclamat, ſtrepit hæreſis, furitque,
Indignata nouum ſuperba frænum.
Tenax propoſiti, minacis ora
Vulgi turbida temnit, enſe Cæſar
Armatus rutilo, Deoque fretus.
Curat & vigil extera, excubatque
Matthias ſapiens domi, foriſque;
Frænat Boſporon; arma Barbarorum
Frangit: Byſtonidum truces phalanges,
Arcuſque, & pharetras cruentus, atque
Euoluit ſpolijs onuſtus Iſter.
Pacem poſcere ſupplicem Tyrannum
Cogit Lunigerum, deditque Thracum
Aulæ quas voluit per arma leges.
Septenos dominatur is per annos,
Orbis Romulei Hercules Latinus.

Im-

Immites citiùs ſecant Sorores
Vitæ ſtamina : viuet at perenni
Æuo fama diù, diù ſuperſtes,
Maior funere, maior & ſepulcro.

AD MATTHIAM CAESAREM

EPIGRAMMA.

ngenitus magnis Atauis vigor igneus, ardet
Matthiæ in forti pectore Marte pari.
Hinc audax rigida fractus virtute Bohemus,
Hinc domita Huſſitæ colla, animique truces.
Hinc Thracum ſpolijs, & ſanguine turbidus Iſter,
Pallida & Iſmarij ſyderis ora metu.
Tu tamen haud longos, Cæſar, dominatis in annos,
Ponis & Imperij Romula fræna citò.
Tempore at exiguo patraſſe ingentia facta,
Hoc vixiſse diù, hoc conſenuiſse fuit.

AD FER-

AD FERDINANDI SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO XII.

Chriſt. Ann. 1619.

Ferdinando Secundo
Cæſarum Optimo, Auſtriadum Maximo,
Poſt tot bellorum motus,
Laboreſque pene Herculeos
Quàm dulcis huiuſce ſepulcri quies!
Alcides alter,
In ipſis Imperij ſui cunis
Geminos elidere angues viſus.
Hinc Ioannes Fridericus, Comes Palatinus,
A Bohemis dum rapitur ad regnum, regnum rapit.
Hinc Bethlemus ab Vngaris inauguratur,
Nitetque furtiuis pennis Tranſyluana cornicula.
Aude, Auguſte Princeps,
Quando non excuſſum ex Aquilæ tuæ vnguibus fulmen,
Sciuerit Regina volucrum vindicare ſua regna.
Neque mora: victore Ferdinando,
Triurbe Praga, hoc eſt, Bohemiæ capite aſſerto,
Rapta aſſeritur Bohemiæ corona.
Palatinus è Rege nihil,
In Martis alea ſua, non ſua perdidit:
Palatini vix nomen,
Regis nec vmbra nominis reſtat.
Bethlemus, quamuis vota nuncupauerit Lunæ Thraciæ,
Præter fugæ celeritatem,
Nihil ab ea impetrauit.
Relicta Pannonia,
Excuſſit è leuiſſimo capite coronæ pondus.

Iugulato gemino hoc angue,
Emerſere è Suecia noua monſtra,
Ceu non ſatis eſſet Germaniæ ſua Hercynia.
Guſtauus Sueciæ, Gothiæ, Vandaliæ Rex
In vnam intulit Germaniam,
Quicquid olim ærumnarum, & cladium
In terras Europæ omnes
Inuexere Gothi, ac Vandali.
In Germaniam ipſa cum Guſtauo coniurauit Germania.
Patent, patent vrbes, arces Victori.
Cæſar non is erat,
Vt pectus eius frangeret ille aries.
Fauit Guſtauo fortuna, Ferdinando virtus.
Non ſat tuendo Sueco mille acies.
Vallatus ſuis concidit:
Et quo is ictu concidit,
Concidere ſimul armata agmina,
Ceſſitque in triumphum Ferdinandi Guſtauus.
Succiſæ verò Fœderatorum ſpes,
Ac fœderati ipſi Principes Cæſaris fuere ſpolia,
Ac triumphalis religionis exuuiæ.
Porrò iſthæc proſtratæ ſuperſtitionis trophæa,
Ceu vellet ipſemet Ferdinandus nunciare Superis,
Non ita poſt multò Cælum petijt,
Relicto hic ad terrarum Solatia
Cinere Laureato.

AD FERDINANDVM II. CÆSAREM

EPIGRAMMA.

Concesſas mundi dum Ferdinandus habenas,
Auguſtaque manu ſceptra regenda capit;
Pannones hinc rigidi, mordent hinc fræna Bohemi,
Imponuntque alijs non ſua ſerta comis.
Nempe Palatinum furtiuum ſtemma coronat,
Et Tranſyluanum hinc aſpera bella tonant.
Inſurgis, Cæſar, geminum ſimul impetis hoſtem,
Et victor gemino ex hoſte trophæa refers.
Contigit Alcidæ nunquam hæc victoria; majus
Herculeo nimium eſt, imperijſſe duos.

AD FERDINANDI TERTII

Tumulum

INSCRIPTIO XIII.

Chr. an. 1635. Viuere Longæuus Pylios qui debuit annos,
Par magnis virtute Atauis, magnoq; Parenti
Par Ferdinandus, fronte, & grandi indole Cæſar,
Indole & Auſtriacus grandi; factiſque ſuperſtes.

Egre-

Egregijs, & fama hominum, hac latet abditus vrna.
Auguſtum ſatis eſt nomen pro diuite lingua:
Hoc ſatis elogium: meritas tamen accipe laudes.
Dant iura ad mundi faſces cunabula, auitum
Et genus: ipſe ſibi ſed Ferdinandus honorem
Emeruit trabeæ: dant & ſuffragia ſerò
Quæ citius dederat regnorum inſignia virtus.
Diuiſum Imperium ſtudijs, abiectaque fræna
Fortior haud poterat tùm dextra capeſſere: victor
Nanque Parens quamquam caput inſuperabile Suecis
Abſtulit, amiſſo & trepidarent agmina Rege,
Nec menti vis vlla eſſet, nec viribus ardor;
Quæ tamen horrendùm crinali ſibilat angue
Feralem quaſſatq; facem crudelis Erynnis,
Mox redit ex Herebo; demiſſaque pectora flagris
Aſperat igniuomis, truculentam atque erigit iram.
Guſtaui emerſere noui: in noua fœdera dextras
Miſcent Germanuſque, Gothuſque, atque auſpice Marte,
Se petit vnanimi rabie Germania diſcors.
Hæc Ferdinando belli patet area: creſcunt
Magnanimo vires, animique in turbine tanto.
Relligio præit: Auſtriacis vt militet armis
Æther, ſyderei & veniant in claſſica Diui,
Hoc primum: auguſtas Aquilas tùm fulmine torto
Horrificat, Stant lectæ acies, atque horrida campis
Fluctuat ære ſeges rutilo, pugnamque laceſſit
Audax, quem propior mordet victoria, miles.
Sæpe hoſtem terret: tandem Norlinga theatrum
Pulchrum aperit palmæ Auſtriadum, cum Numine dextro
Mars geminus, belli duo fulmina Ferdinandi,
Regum alter ſanguis, Latio ſpectandus in oſtro;
Auguſti Soboles alter, mox Cæſar & ipſe,
Arma, animoſque ſimul iunxere: it tortilis æris
Clangor ad aſtra, mouetque acies Bellona; lacertis
Nulla quies validis: volat ignea grando; minaces

Non vultus, non tela Gothus fert territus: vrget
Miles Cæſareus, rapiturque per agmina cæſa
Victor, ferales & cædes cædibus addit.
Tandem fuſæ acies: plaudit victoria; ſurgunt
Cæſorum è ſpolijs aggeſta mole trophæa,
Et Ferdinandos victricia ſerta coronant.
Gratantur populi, exanimem iacuiſse rebellem
Perfidiam, Lutero fracta & vindice ferro
Cornua. Sed cumulat Cæſar mox gaudia pacto
Fœdere, ceu parcat victis. Suffragia mundi
Pacem prona probant: ſic Ferdinandus, aperto
Qui bello vicit, pulchra poſt pace triumphat.
Munere nec tanto, pepercit quod fulgure dextræ,
Conſilioque, diu fruitur. Parnaſſia laurus,
Addita magnanimæ fronti, non miſſile fulmen
Auertit fati. Eheu funere Ferdinandus
Occidit immiti. Spes ò quàm lubrica mundi,
Quàm breue delicium! vitrea eſt fortuna Potentum,
Credite, mortales, dum ſplendet, frangitur vltrò.

AD FERDINANDVM TERTIVM

EPIGRAMMA.

Guſtauum bello ardentem, glacialibus oris
Egreſſum, ferro vicit, & ære Parens.
Guſtaui Manes tu, Ferdinande, triumphas,
Prælia dum gelido è marmore ſpirat adhuc.
Namque Gothos animare ſuos, rigidaſque ſuperbus
Inflammare acies cernitur ille cinis.
Itque per haſtatos cuneos leuis vmbra; cruentam
Vlciſci cladem ceu velit ipſe ſuam;

Ful-

Ful mine tu ſtratum Patris, mox fulmine ſternis,
Magne, tuo, atque ſemel Rex,iterumque cadit.
Patre licet victus; perſtat Guſtauus in armis;
Vinci à te, Cæſar, ſcilicet ille cupit.

AD LEOPOLDI CAESARIS EFFIGIEM

INSCRIPTIO XIV.

Tot inter Auguſtæ tuæ Gentis Cæſarum Mauſolea Chr.an. 1655.
Tuum, inclyte Leopolde, ponimus ſimulacrum.
Ne te extinctos inter Manes collocatum puta:
Viuit immortalis hæc Auſtriacorum Panegyris,
Quos animat ſua virtus, ſua gloria,
Aliτque poſteritas, & mortalium recordatio.
Heroum hoc agmen tu claudis,
Æuo poſtremus, non meritis.
Quòd verò cenſeris vltimus,
Nos in feliciſſimis computamus:
Superiore ſiquidem ſeculo ſiuixiſſes;
Non iſta modò frontis majeſtas,
Non amœnitas oris
Noſtra hæc bearent tempora.
Et tibi quidē hoc ipsū quantū attulerit voluptatis,ac fructus?
Iuuat ire per atauos, abauos, tritauos,
Atque in pulcherrima laurearum ſylua,
In tanta triumphorum ſegete
Videris tu ipſe triumphare in tuis,
Quos exprimis ſpirituum altitudine,
Ac præclaræ vi mentis.
Et ſi trophæis non indiges alienis:
Quando tu es, quod fuere Illi,

At-

Atque in iſto iuuentæ flore
Tuis laudibus effloreſcis.
Rudimenta ætatis virum te prædicant robore,
Conſilio ſenem.
Leonem præfert non mendax nomen.
Pectore pluſquam Leo es.
Documento fuerit ſpreta Turcarum rabies.
Irrupere nuper in Germaniam regiones, non legiones:
Viſa in media Pannonia equitare Thraciam.
Creuit ea Barbarorum alluuione Danubius,
Decreuit tot gentium hauſtu penè exhauſtus.
Tu numero robur obiicis, Leopolde,
Belluarum hunc gregem
Non timet Auſtriacus Leo.
Agnouere Turcæ,
In vno Leopoldo pugnare
Maximilianos, Carolos, Ferdinandos.
Hinc pacis conſilia,
Quam tu libens, volens ampleceris,
Poſtquam docuiſti, pecudum more mori Turcas:
Germanos non inultos cadere:
Certare Turcas, Germanos vincere:
Ac ſufficere iam Tibi aggeſta Thracum corpora,
Erectaſque cadauerum ſtrues,
Vt in Cælum conſcendas fama nominis,
Vbi gentile Othomannorum Sydus faſtu premas.
Viue diù, inuictiſſime Leopolde,
Gentium amor, & terror.
Inſpice iſthæc Maiorum Mauſolèa:
Sed, quod commune Orbis votum eſt,
Quàm longiſſimè diſtes à tuo.

AD LEOPOLDVM CAESAREM

EPIGRGMMA.

Impoſitum auguſtis magnum ceruicibus Orbem,
Conſilio, & mentis vi, Leopolde, regis.
Quòd ſi bella infert Thrax illætalia, Thracem
Terres fronte, teris fulmine, & enſe fugas.
Obruat ille armis terras, & militet illi
Niliacus, Phrygius, Theſſalus, Afer, Arabs:
Nil metuis, Leopolde: Leo dat nomina, & vngues:
Et ſimul Alcidem te tua dextra facit.

AD PHILIPPI I. HISPANIARVM REGIS

Tumulum

INSCRIPTIO XV.

Philippi, Maximiliani Cæſaris filij
Nihil Mauſoleo hoc magnificentius,
In quo tot vides regnorum inſignia.
Paterno iure Bohemus, Pannonius,
Auſtrius, Carinthius, Styrius:
Materno Burgundus, Belgicus:
Iure coniugij

Hiſpa-

Hiſpanicus, Italicus, Indicus:
Hoc eſt,
Priſci Orbis Atlas, noui Hercules.
Romanum Imperium auara mors negat.
At quod ipſi ereptum, congeminatum in liberis eſt.
Inaugurato Carolo, & poſtea Ferdinando:
Vt dici is iure poſſit
In gemino Cæſare bis Cæſar.
Macedoni olim Philippo ſat fuit, filium habuiſſe Alexandrum:
Germano huic Philippo
Quantum attulerint lucis, gloriæque
Duo Cæſares?
Eò Alexandro illuſtriores,
Quòd ille Magnus, hi Maximi.
Maturiùs Philippum occidiſſe,
Ideò moleſtum illi coniectamus,
Quod tantum tot populorum, ac prouinciarum
Detrectaſſe onus videri poſſet.
Auſtriacis regna honori ſunt, non oneri:
Velut ſuo in centro nulla ijs moles grauis.
Plures ſomniaſſe mundos Democritus dicitur,
Robuſtis eos humeris Auſtriaci ferunt,
Citra ſomnium.
Interim, Philippe, poſt fundatam Hiſpanam potentiam,
Quòd nihil addi ad hanc laudem poſſet,
Deſinis viuere:
Aſſequutus iam quicquid eſt immortalitatis, ac famæ.

AD PHI-

AD PHILIPPVM I. HISP. REGEM

EPIGRAMMA.

Auſtriadum ſoboles, grandique è Cæſare natus,
   Fortuna haud poteras ſplendidiore frui.
Regna tamen regnis cumulantur, & altera priſcis
   Accedunt ſceptris ſceptra, Philippe, tuis.
Inclyta te Virgo, tu Virgine dignus Ibera,
   Iungitis vnanimi regia corda thoro.
Hinc Domino fortis tibi paret Iberia: maior
   Hercule, trans Calpen & noua regna ſubis.
Quàm fœcundus Hymen! numero parit ille carentes
   Nam populos, Orbes & parit ille nouos.

AD PHILIPPI SECVNDI

Tumulum

INSCRIPTIO XVI.

Quis locus hic gemmis ardens? an Pantheon? vrnas,
   Magnorum an Regum dixeris eſſe domos?
Squalet vbique aurum, fulgetque inſculpta Syene:
   Sit quamuis cultus ditior ipſe cinis.

Reges nanque ſuos hic condit Iberia ; tantum
Debuit Auſtriadum condere gemma iubar.
Auguſto propior Carolo ſtat nobilis vrna,
Puluere quæ modico eſt vrna ſuperba ſuo.
Scilicet, hoc tumulo prudens iacet ille Philippus,
Ille ſupercilio, conſilioque minax.
Prælia vix libat iuuenis: tum bella ſedendo
Acriùs, & nutu fortior arma regit.
Pectore non tunica eſt adamantina; ahenea caſſis
Non capiti, aut triſido fulmine dextra rubet:
Attamen haud vlli non formidatus inermis:
Terret latè Orbem, nec tonat ira ferox.
Nanque vbi Mars poſcit, ferro dirimendaque lis eſt,
Ardent lectæ acies, miles & arma fremit.
Agmina & is format tacitus, vireſq; lacertis
Iuſſu addit; pugnat mens operoſa domi.
Indomiti hinc fracti Belgæ; ſyluiſque Britannus
Roſtratis peritus, territus & Tameſis.
Palluit hinc Thracum ſydus, cum remige Marte,
Mille per Ionium detonuere rates.
Decolor & Maurus Libycis hinc fluctuat oris,
Et ſua diſcerptus littora tingit Arabs.
Subditur Auſtriadis hinc Luſitania, & Indus
Amplificat terris Indica ſceptra ſuis.
Regis at auguſti nota eſt ſolertia: ſtricto
Ferro alij; hic retulit mente trophæa graui.
Diſſimilis, ſimiliſque Patri: certantibus anceps
Palma eſt: hic maior conſilio, ille manu.
Robur in aduerſis, efficta atque ære trilici
Pectora, quæ dicent carmina laude pari?
Aſpera magnanimum pulſant: fræna aurea, auitam
Et fregiſſe fidem turbida regna videt.
Et videt vndiuagum pelagus, ventoſque furentes
Turbine diſiectas diſſoluiſſe rates.
Et triſtes thalamos: maturius Heroinas,

At-

Atque immatura morte abiiſſe thoro.
Quid Soboles auguſta, domus ſpes vna teramplæ,
Flos iuuenum, auriferi gloria prima Tagi?
Eheu, dum prima vernant lanugine vultus,
Abſtulit immiti mors properata manu.
Pertulit hæc, fuſum cui pectus iaſpide dura,
Ridet & impauidus qui fera tela Iouis.
Sceptra diu tractat, lentis à moribus audit
Prudens: hæc illi fama perennis erit.
Regibus interea regnandi exempla Philippi;
Hic cinis, hæc leges nobilis vrna dabit.

AD PHILIPPVM II. HISP. REG.

EPIGRAMMA.

Quos facti decorat domi, foriſque
Virtus inclyta Cæſares, Duceſque;
Illis nomina diuidit decora.
Hunc magnum vocat, hunc pium, hunc & æquum;
Illum magnanimum, manuque fortem;
Pulcher audiit ille, & ille felix.
Tu, dum ſceptra regis ter ampla, & Indis,
Iberiſque, Italiſque iura dicis;
Sortitus meritum, Philippe, nomen,
Prudens diceris: hoc remotus Orbis
Te cognomine; & hoc eques, ſenator,
Sagatus vocat, & vocat togatus.
Quid hac pulchrius, altiuſque laude?
Hoc de nomine nil ſibi volucris
Fortuna, aut putet arrogare vulgus.
Virtus indidit: eſt apex, corona,

Et compendia nominum vocatur
Hoc qui nomine, fortis ille, iuſtus,
Eſt & magnanimus, benignus, acer.
Hoc tu nomine Cæſares ſuperbos,
Et quotquot tulit inclytos vetuſtas
Reges exuperas, Philippe prudens.
Hoc tu ſceptra beas, beas & Orbem:
Nulli hoc nomine Principum Secundus.

AD PHILIPPI TERTII
Tumulum
INSCRIPTIO XVII.

Philippum Tertium
Ter optimum, ter maximum
Complectitur diuite hac vrna Pantheon,
Cui contigit non vno inſcribi Regum nomine.
Regias exuuias regius excipit cultus:
Additque tumulo, & cineri pretium virtus,
Virtuti inclytum nomen.
Hoc Principe,
Viſa militaſſe religioni arma, armis religio.
Vt exarmaret Leonem Belgicum,
Armauit elementa.
Mare ſiquidem claſſibus, terras aſperat legionibus,
Perſtrepente vbique in cuniculis, in tormentis flamma.
Oſtenda ſuis munita æſtuarijs,
Tuta videri potuit, non ſecura.

Dif-

Diffracta vndarum clatra:
Ceſſitqae Hiſpano Marti Neptunus Belgicus,
Inferiori Germaniæ ita affixus,
Vt ſuperiori adeſſet.
Agnouere Cæſares à Philippi ærarijs
Militiæ ſuæ neruos;
Vt pugnauerint illi ferro, Philippus auro:
Suas inter hyemes
Heluetijs in Heluetios Marte exardeſcentibus,
Stat pro Catholicis Catholicus.
Exacuit ad eius regionis cautes arma.
Caluinos, Zuinglios, Bezas, peſtis nomina,
Terret ſuo nomine.
Cauet & populari pietati attentiùs:
Ne Hiſpaniæ viſcera contaminaret Maurus,
Impoſitam nauibus luem,
Ventis dedit per omnes Europæ angulos diſſipandam,
Reclamante licet ærario,
Quòd minutis Gentis vectigalibus,
Alter velut Tagus aliò diuerterit.
At Is minui Regis opes,
Quam regnorum pietatem maluit.
Contra, ne Americanas diuitias diriperet Batauus,
Intercluſo claſſibus mari,
Monuit, vltra Herculeas columnas
Nullum eſſe Alcidem,
Qui auriferos eos hortos decerpſerit.
Dum plaudente vtroque Orbe,
Sapientiſſimè, pientiſſimè regnat Philippus,
Abiit ad meliores optimus.
Neque expectat æui ſenium:
Conſenuerat iam maieſtate, ac moribus.

AD PHI-

AD PHILIPPVM TERTIVM

EPIGRAMMA.

Non te, Magne, diù tua regna habuere, Philippe,
Quem cuperent Pylios tranſilijſſe dies,
Cui niuei mores, dulci cui regia vultu
Maieſtas, facili & fulmina lenta manu;
Quem pietas ſacrat, cui mens conclaue ſupremi
Numinis, & templum relligionis erat;
Illius auguſtæ penſum reuolubile vitæ
Debuit haud Atropos diſſecuiſſe citò.
Scis, cur cæſaries ſenio haud incanuit albo,
Flauum perque caput non cecidere niues?
Vertice Olympus erat, ſublimior indole: at vltra
Qui potuit nubes nix cecidiſſe comis?

AD PHILIPPI QVARTI

Tumulum

INSCRIPTIO XVIII.

Philippus Quartus iacet hic,
Exceptus in Pantheo, quod ipſe exornauit,
Veluti ſuo in electro, ac gemmia conſepultus.

In

In magna fortuna editus,
Suæ plus virtuti, quam fortunæ debuit.
Ingenium illi elegans:
Nihil huius amœnitas grauitati morum;
Nihil grauitas morum detraxit amœnitati ingenij.
Lenimentum Muſarum placuit, non leuitas.
Prudentia inerat, quæ gemino Orbi par eſſet:
Liberalitas, cui vix ſufficeret geminus Orbis.
Æquè manu prodigus, ac verborum parcus.
Iuſtitiam, clementiam egregiè miſcuit:
Viſus parcere, ſi mulctaret,
Mulctare, ſi parceret.
Religioni ſacrauerat pectus.
Monebat pendens è ceruice aureus ille Aries,
Intus mactari victimas cultu Numinis.
Hæreditariam in Agnum Euchariſticum pietatem,
Suam Philippus fecerat.
Ruente interdum imbribus Cælo,
Aperto capite deducebat.
An Manna tùm pluere cogitabat?
An putabat,
Ad cæleſte Epulum opportunè miſcere Cælum pocula?
Gaudebat certè, inſtaurari Cherſonæ miracula:
Nempè ad Agni præſentiam enaſci fontes,
Par in Deiparæ Conceptum pietas.
Hoc verè regium putabat,
Quicquid eſt ſeruitij, & compedis,
Mundi Reginæ abrogare.
Iam, Philippo in palæſtra fortunæ nihil generoſius.
Præmaturè erepta,
Hinc dilecta vnice Coniux,
Hinc vnica, ac lectiſſima Soboles,
Hoc eſt, vtrumque dimidium animæ,
Nihil illi detraxere animæ magnæ.
Coniuge, Filio abeuntibus,

Di-

Diuidi viſus, ac diſcerpi Philippus,
Ab inſigni tamen fortitudine integer.
Ea fronte nihil in tanto turbine ſerenius.
In regnorum defectione
Adamantem pectoris probauit.
Hac gemma coronas adauxit ſuas.
Vultus conſtantiam ſi inſpexiſſes;
Negaſſes amiſiſſe regna.
Scilicet, auferri illi potuere regnorum ſceptra,
Non ſceptrum ſui.
Bella deinde geſſit, quia pacem adamabat.
Redimere hanc oportuit, & ſuo auro,& ſuorum ſanguine.
Cladibus, palmis reciprocantibus,
Ad illam tandem peruenit;
Eiuſque in ſinu æternùm quieſcet.
Cometes, ſparſo ad mœrorem capillamento,
Tanti funeris nuntium anteuertit.
Nuntius Cæli fuit,
A vi doloris elinguis.

AD PHILIPPVM QVARTVM

EPIGRAMMA.

Surgentem poſtquam Solem, Solemque cadentem,
Amplaque frænaſti regna, Philippe, diù;
Occidis, atque tuum te Pantheon excipit vlnis,
Diues & aurato te fouet vrna ſinu.
Regibus ipſe ornas monumenta hæc grandia; tantum
Non Pharos, aut Memphis ſplendida vidit opus.
Ardent cuncta auro, bimaris dedit æra Corinthus,
Phidiacus finxit marmora viua labor.

Te

Te viuente tamen tua Mauſolea ſupremum,
Culta licet, cultum non habuere ſuum.
Tu deeras, magni & Manes: à pignore tanto
Addita nunc operi meta, coronis, apex.

AD FERDINANDI IV. VNGAR. REGIS

Tumulum

INSCRIPTIO XIX.

Abnuit has triſtis funeſto inſcribere ſaxo
Dextra notas; refugitque incidere laudibus vrnam
Auguſti Iuuenis, facundo & ducere vultus
Ingenio; fati ne lamentabile vulnus
Nempè recrudeſcat, geminent & carmina funus.
At quæ diſſimulet præclarum litera nomen?
Auſtriadum ſoboles hoc marmore Ferdinandus
Conditur, Vngaricæ trabeatus ſceptriger Aulæ.
Dum Lacheſis vitæ florentes pertrahit annos,
Atropos ante diem ſecat aurea penſa volucri
Pollice. Flos Regum primæuo in flore reclinis
Languit. heu, telum Auguſti penetrabile Patris;
Inuictæque Domus clades! heu, funere in vno
Tot ductum populis funus? Commurmurat Iſter
Ipſe ſuos luctus: mœrens Germania vidit
Arctoas abijſse niues, glaciemque tepentes
In lachrymas. Niuea quid fronte ſerenius illa?
Indole quid maius! roſeo quid pulchrius ore?
Et grauis, & comis; flauoque in vertice prudens

Iam mens conſenuit, magni par Orbis habenis
Hinc ſubito Auguſtus, propiorque inſignibus; atque
Imperio Patri: Procerum nam pronior vrna
Romulidum euulgat Regem, qui ſceptra Latini
Cæſaris, & mundi poſt aurea fræna capeſsat.
Plena paludato Iuueni plauſere theatra:
Vocibus it feſtis populorum clamor ad aſtra:
Exterus, & ciuis gratatur, & vltima Tule,
Iam virtus ardens ſpondet vultu indice magna:
Iamque animos ſpe grandi animat: iam palluit ora
Iſmaridum ſydus, clades metuitque futuras.
Auſtriadum at ſibi dum plaudit Gens inclyta Regum,
Et tantum Alcidem magno gratatur Atlanti;
Miſcet luctu Aulam mors implacabilis: eheu,
Non illam augusti vultus, non pectora magnæ
Plena animæ, primo virtus non flexit adulta
Flore æui. Heu, fati leges! Quem viuere probrum eſt,
Conſenuiſse vides: pectus qui moribus ornat,
Et vixiſse diù meruit; iuuenilibus annis
Illius immeritum præceps ſecat Atropos æuum.
At, Ferdinando longos mors improba Soles
Inuideat, minuatque dies: non ille moratur,
Temporis hanc fluxam, & vitæ teuolubilis vmbram.
Luce ſua nempè, atque Atauum circumfluus, addit
Ipſe ſibi æternos virtute, & nomine Soles.

AD FER-

AD FERDINANDVM IV. VNGAR. REG.

EPIGRAMMA.

Ferdinande, tui vix fræna binominis Iſtri,
Vix & Romulidum ſceptra regenda capis;
Vix ſatias aſpectu Aulam, cum deſeris Aulæ
Et trabeam, & faſces flebilis Orbis amor.
Te Cælo dignum an vidit tuus Auſtrius Ales,
Et rapuit terris, ſummaque ad aſtra tulit?
Non Aquilæ inſolitum Iuuenes rapuiſse virente
Æuo, & ſuſpenſos vngue tuliſse Ioui.

AD CAROLVM II. HISP. REGEM

ELOGIVM.

Da, Carole, vt in infantia tuæ lucis
Adultum iam iubar Hiſpaniæ tuæ gratulemur.
Nihil in Auſtriacis pueraſcit.
Naſceris, & ſtatim Carolus es:
Nempè vel à cunis illum nomine repræſentas,
Cui virtus adminiſtra, ſubdita fortuna,
Conturbernalis gloria,
Plauſor non vnus Orbis.
Patrem vix agnouiſti:
Vt in formanda indole tu tibi videreris Pater:
A te peteres documenta magni animi:

Afflauerit ille ſpiramenta vitæ,
Tu vitam ornares moribus.
Educari in ſinu Matris ideo pateris,
Quòd in Matre aliquid vides ſupra fœminam.
Inclytæ Heroinæ, Cæſarum Soboli,
Hoc princeps elogium erit:
Matrem fuiſſe Caroli.
Macte, magne Puer.
Deeſt nunc virtuti ætas:
Vbi adoleueris,
Non deerit ætati virtus.
Agnoſcet in te vno Atauos tuos omnes
Hiſpaniæ.
Agnoſcet è multiplici Regum cinere
Phœnicem Regum.
Hæc denique ſumma votorum eſt,
Vt diù viuas.
Habes, quicquid mortales beat;
Atque adeò non tam felicitatem tibi,
Quàm felicitati tuæ diuturnitatem apprecamur.
In tanta rerum affluentia
Parcis vota nuncupamus.

AD CA-

AD CAROLVM II. HISP. REGEM

EPIGRAMMA.

Auguſtus prima Puer efflorefcit in herba
Carolus, aureolo ludit & ore lepos.
At ſpecies fallit: pueri ſub imagine pulchra
Virtus exiguo in pectore adulta latet.
Stant roſea ſub fronte Ataui; magnique Philippi
Moribus informant mentem, animantque animam.
In Carolo & ſpirat Carolus, Regum ille potentum
Terror, ferre humeris regnaque auita docet.
Exue nunc teneros, quos prima infantia finxit,
Magne Puer, vultus; exue; ſume tuos.
Ah video: expectas, regnandi vt cominus artes
Tantiſper doceat te quoque magna Parens.

MARIANNAE HISPANIARVM REG.

ELOGIVM.

Erepto inclyto Coniuge Philippo Quarto,
Quiſquis tuæ indolet ſolitudini,
Marianna Auſtriaca;
Næ ille virtutum tuarum chorum non videt,
Quæ te ſolam eſſe non ſinunt;
Neque confertiſſimam Cæſarum, Regumque ſeriem,

E tua

E tua Gente videt,
Quibuſcum ipſa verſaris,
Quoties animo ipſi obuerſantur tuo.
At ſolitariam te quis dixerit,
Creſcente Carolo Secundo?
Rediuiuum, ſpirantemque in eo Philippum vides,
Ac poſito ſenio refloreſcentem.
Qui Philippus erat, redijt Carolus:
Vt gratuleris tu tibi Philippum, & Carolum.
Nullus igitur ſolitudini locus.
Reginam, & Regem agis:
Intra velum Regina, extra velum Rex:
Sola aliquando Regina eſſe poteris, Rex nunquam.
Populorum vota, Regnorum commoda
Regias poſcunt aures.
Ades tu ſummis, infimis:
Adeunt te, ſummi, infimi:
Cum Hiſpanis, Italis, Belgis, Indis loqueris:
Quid? ſi immixta caſtris, exercitus etiam inuiſere,
Atque ipſa pene cogeris bella adminiſtrare,
Sedendo, & quieſcendo?
Porrò, Heroina incomparabilis,
Agnoſcimus in fœmina mares animos;
In filia, ac nepte Cæſarum magnam indolem;
In Germana robur pectoris;
In Hiſpana vim mentis;
Hoc reliquum,
Vt quæ rediere iterum Pulcheriæ, atque Amalaſunthæ,
Communi bono perennent.

AD MA-

AD MARIANNAM AVSTR. REG. HISP.

EPIGRAMMA.

Felices, Marianna, dies dum ſoſpite ducis
    Coniuge; fortunæ viſa cubare ſinu.
Abſtulit, heu, niueos fatum implacabile Soles,
    Atque tuo exanimis Rege cadente, cadis.
Quàm quereris iuſtè Coniux, atque inclyta neptis?
    Haud fonte ex vno lachryma nempè fluit.
Sume tamen, Reginæ, tuos vultuſque, ſerenam
    Et frontem: redeat purpura grata genis.
Regnat adhuc magnus nam, te regnante, Philippus,
    Pectore in auguſto viuit & ille tuo.
Quis locus hic lachrymis? poterit num pectore eodem
    Coniuge cum tanto triſtis ineſſe dolor?

FINIS.

INDEX
ROMANORVM PONTIFICVM.

A	Creat.	Temp.Pont. An.Meſ.dies	Mors	pag.
S. Agapetus 1. P. 58 Romanus.	134	. 11. 19	536	85
Agapetus 2. P. 132.Rom.	946	9. 6. .	956	184
Agatho P. 84 Samnis, Caſſin.	679	2. 6. .	682	118
Concilium gener.Conſtantinopol.3.				
S. Alexander 1. P. 7 Rom.	118	10. 5. 21	129	12
Alexander 2.P.158 Mediol.Can.Reg.	1061	11. 6. 22	1075	214
Schiſma 2. Honorij 2.				
Alexander 3. P. 172 Senenſ.Can.Reg.	1159	21. 11. 23	1181	236
Schiſma 21. Victoris 4.				
Adſcribitur inter Sanctos S.Eduardus Angliæ Rex 1163.S.Bernardus Abbas 1164.& S.Thomas Cantuarien. 1172. & S. Galganus Eremita 1181.				
Alexander 4. P. 184.ex Comit. Sign.	1254	6. 5. 5	1201	254
Alexander 5. P.208 Cretenſ.Ord.Min.	1409	10. 8. .	1420	291
Alexander 6. P.218 Valentin.Borgia.	1490	11. . 18	1503	309
Alexander 7. P. 241 Senen. Chiſius.	1655	12. 1. .	1667	348
D. Thomæ à Villanoua apotheoſis 1658. & D. Franciſci de Sales 1664.				
S. Anacletus P. 5 Athenien.	101	9. 2. 28	110	10
S. Anaſtaſius 1. P.4. Rom.	398	4. 1. 13	402	19
Anaſtaſius 2.P. 51 Rom.	497	1. 11. 11	499	75
Anaſtaſius 3. P.123. Rom.	911	2. 1. 22	913	234
Anaſtaſius 4.P.170 Rom.Canon.Reg.	1153	1. 4. 24	1154	234
S. Anacletus P.5.Rom.	79	12. 7. 2	92	10
S. Anicetus P.12. Syrus.	165	9. 8. 24	175	18
S. Anterus P. 21 Græcus,	238	1. 1. 14	238	29

B	Creat.	Tēp.Pont. A.M.D.	Mors	pag.
S. BEnedictus 1. P. 63. Rom.	572	4. 2. 15	576	93
S.Benedictus 2. P.82. Rom.Sabellus, Canon. Reg.	683	1. 10. 27	684	120
Benedictus 3.P.106 Rom. Can. Reg.	855	2. 8. 16	858	154
Benedictus 4. P.119 Rom. Can.Reg.	899	3. 6. 15	903	170
Benedictus 5. P.135.Rom.	964	. 1, 1	964	188
Benedictus 6.P.139 ex Comitib.Tuſc.	975	9. 1. 10	984	194
Benedictus 7.P. 148. Rom.ex Comit. Tuſcul.	1012	11. 8. 2	1024	202
Benedictus 8.P.150 ex Comitib.Tuſc. Schiſma 19. Silueſtri	1032	12. 4. 20	1045	205
Sanctorum numero adſcribitur D.Simeon Monac.Treuir.1035.				
Benedictus 9. ſiue 10. P. 196. Taruiſ. Ord.Præd.	1303	. 8. 6	1303	273
Benedictus 10. ſiue 11. P.200 Gallus, Ciſtercienſ.	1334	7. 4. 8	1342	278
S. Bonifacius 1.P.43.Rom.	417	4. 9. 28	423	63
S. Bonifacius 2. P. 56. Rom.	530	1. . 2	531	82
S. Bonifacius 3.P.67 Rom.	606	. 8. 23	606	92
Bonifacius 4. P. 68 Marſus Caſſin.	606	6. 8. 12	613	101
Bonifacius 5. P.70 Neapol.	617	5. . 10	622	104
Bonifacius 6. P. 114 Rom.	895	. 1. 15	896	165
Bonifacius 7. P.138.Rom.	974	1. 2. 12	975	194
Bonifacius 8. P.195 Rom. Caetanus.	294	8. 9. 28	302	271
Sanctorum Catalogo adſcribit. D. Ludouicus Galliæ Rex 1296.				
Domus Lauretana ex Illyrico in Picenum transfertur.				
Bonifacius 9. P. 205. Neapol. Cybo Tomacellus.	1389	14. 11. .	1404	287

S.Cæ-

C	Creat.	Tēp.Pont. A.M.D.	Mors	pag.
S. CAeleſtinus 1. P.44.	423	8. 5. 3	432	230
Cæleſtinus 2.P.167 Tuſcus.	1143	. 5. 13	1144	230
Cæleſtinus 3. P. 177 Rom. Sanctorum faſtis adſcribitur D.Ladiſlaus Vngar. Rex 1191. & S. Vbaldus Epiſcop.Eugubinus 1192.	1191	6. 9. 11	1198	244
Cæleſtinus 4. P. 181. Mediol. Caſtelioneus, Ciſtercien.	1243	. . 17	1243	252
S. Cæleſtinns 5.P.194 Eſernien.Monach.	1294	. 5. 7	1294	269
S. Caius P.29 Dalmata .	283	12. 4. .	296	42
S. Calliſtus 1.P.17.Rom.	221	5. 1. 12	227	25
Calliſtus 2. P.104 Burgund.Caſſin. Concilium Lateranenſe 1.	1119	5. 10. 13	1128	225
Calliſtus 3. P. 113 Hiſpanus Borgia . Sanctorum Catalogo adſcribitur D. Vincentius Ferrer.Ord.Præd.1450. Et S.Edmundus Epiſ. Sarisburien 1457.	1455	3. 3. 20	1458	300
S. Clemens 1. P. 4.	92	9. 6. 4	101	7
Clemens 2. P.152 Saxo.	1047	. 9. 15	1048	207
Clemens 3.P.176 Rom.	1187	3. 2. 20	1191	242
Clemens 4.P.185 Gallus . Conſecratur ritè S. Eduicis Poloniæ Duciſſa 1267.	1265	6. .	1271	257
Clemens 5. P.197 Aquitanus. Sanctorum Catalogo adſcribitur D. Petrus de Morono 1311. Concilium Viennenſe .	1305	8. 10. 16	1314	274
Clemens 6. P. 200.Gallus,Caſſin. Sanctorum numero adſcribitur S.Iuo Britan 1348.	1342	10. 7. .	1352	279
Clemens 7. P. 223 Florent. Mediceus.	1523	10. 10. 8.	1534	317
Clemens 8. P.235 Flor. Aldobrandin.	1592	13. 4. .	1605	337

	Creat.	Tēp.Pont. A.M.D.	Mors	pag.
Apotheoſis D. Hyacinthi Ord.Præd. 1594. & D. Raymundi eiuſdem Ord. 1601.				
Clemens 9.P. 242 Piſtor. Roſpilioſus Sanctorum faſtis adſcribit D.Petrum de Alcantara, & D. Mariam Magdalenam de Pazzis 1669.	1667	2. 5. 19	1669	351
Conon P.84 Tomitanus	686	. 11. .	687	123
Conſtantinus P. 89 Syrus	707	8. 1. 10	716	129
Cornelius P.22 Rom.	254	2. 4. 8	256	32
Chriſtus Dominus æternus Pontifex.				1
Chriſtophorus P. 121 Rom.	903	. 8. .	904	272
D				
S. Damaſus 1.P.38 Hiſpan. Concilium Conſtantinopol. 1. Schiſma 3. Vrſicini.	367	17. 3. .	385	56
S. Damaſus 2.P.153 Bauarus.	1048	. . 23	1048	208
Deodatus 1. P. 69 Rom. Caſſin.	613	3. . 19	617	102
Deodatus 2. P. 78 Rom.	672	4. 3. 16	676	115
Dionyſius P.20 Græcus	262	11. 3. 14	273	38
Donus 1. P. 79 Rom.	676	2. 5. 10	679	117
Donus 2.P.137.Rom.	972	. 3 .	972	191
E				
S. Eleutherius P.14 Græcus.	182	13. . 13	195	21
S. Euariſtus P.6.Bethlemites	110	8. 1. 28	118	11
Eugenius 1. P.76 Rom.	654	2. 9. 14	657	172
Eugenius 2.P.101 Rom.Canon.Reg. Schiſma 12. Zinzini.	824	3. 6. 24	827	147
Eugenius 3.P.169 Rom.Ciſtercien.	1145	8. . .	1153	232
Eugenius 4. P.212.Venetus Condulmerius S. Georg. in Alga.	1431	15. 11. 21	1447	297

Schiſ-

	Creat.	Tēp.Pont. A.M.D.	Mors	pag.
Schiſma 27. Concilium Florentinum D. Nicolaus Tolentinas in SS. numerum relatus 1446.&S.Bellinus Epiſ. Patau.in Martyr.1451.				
S. Euſebius P. 32 Græcus	310	1. 7. 21	312	47
S. Euthychianus P. 28. Lunenſ.	275	8. . .	283	41
F.				
S. FAbianus P.22 Rom.	238	15. . 4	254	30
S. Felix 1.P.27.Rom.	273	2. 5. .	275	40
S. Felix 2. P.49 Rom.	483	8. 11. 18	492	72
S. Felix 3.P.55.Beneuent.	526	4. 2. 18	530	81
Formoſus P. 113 Portuenſ. Can.Reg. Schiſma 13.	891	4. . 18	895	163
G.				
S. GElaſius 1. P.50 Africanus. Inuentio Cryptæ Gargani Montis in Apulia.	492	4. 8. 19	497	73
Gelaſius 2. P.163 Caietanus, Caſſin.	1118	1. . 5	1119	209
S. Gregorius 1.P.65 Rom. Caſſin.	590	13. 6. 8	604	96
Gregorius 2.P.90 Rom. Caſſin.	716	14. 10. 21	731	130
S. Gregorius 3.P.91 Syrus	731	10. 8. 24	741	132
Gregorius 4.P.103.Rom.Caſſin.	827	16. . .	844	150
Gregorius 5.P.143 Saxo Schiſma 18.Joannis Placent.	995	2. 7. 18	998	196
Gregorius 6.P.151 Rom.	1045	1. 7. 20	1047	200
Gregorius 7.P. 159. Etruſc. Cluniac. Schiſma 21. Clementis 3.	1075	11. 1. 3	1086	215
Gregorius 8. P.175 Beneuent.de Mora, Ciſtercienſ.	1187	. . 1	1187	241
Gregorius 9.P.180. ex Comit. Signiæ	1227	14. 5. 10	1243	249

San-

	Creat.	Tēp.Pont. A.M.D.	Mors	pag.
Sanctorum Catalogo adſcribitur D. Franciſcus Ord. Minorum Inſtitutor 1228.				
D. Antonius Patauinus 1232.				
D. Dominicus Ord. Præd. Inſtitutor 1234				
S. Eliſabetha Vidua, Vngarorum Regis filia 1235.				
Gregorius 10. P. 186 Placent. Vicecomes.	1271	4. 5.16	1276	258
Concilium Lugdunenſe 2.				
Gregorius 11.P.203 Lemouicenſ.	1370	7. 2.29	1378	284
Gregorius 12.P.207.Venet. Corrarius	1406	6. 1. .	1411	289
Gregorius 13.P.230 Bononien. Boncompagnus.	1572	12.10.18	1584	331
Gregorius 14. P.233 Mediolan. Sfondratus.	1590	. 10. 10	1591	335
Gregorius 15.P.238.Bononien.Ludouiſius	1621	2. 5.15	1623	342
Relati inter Sanctos 1622.				
S. Ignatius Loiola Soc. Ieſu Fundat.				
S. Franciſcus Xauerius Soc. Ieſu.				
S. Philippus Nerius Congreg. Orator. Inſtitutor				
S. Thereſia Diſcalceator. Fundatrix				
S. Iſidorus				
H.				
Hadrianus.1. P.97 Rom.	772	23. 10. 17	796	141
Concilium Nicænum 2.				
Hadrianus 2.P.108 Rom.	867	4. 11. 12	872	157
Concilium Conſtantinopol. 4.				
Hadrianus 3.P.111 Rom.	884	1. 3. 19	885	161
Hadrianus 4.P.171 Anglus Can.Reg.	1154	4. 8. 24	1159	235
Hadrianus 5.P.188 Genuenſ. Fliſcus.	1276	. 1. 7	1276	261
Hadrianus 6.P.222 Traiecten.	1522	1. 8. 6	1523	310

Re-

	Creat.	Tēp.Pont. A.M.D.	Mors	pag.
Relati inter Sanctos 1523.				
D.Bened. Epiſcopus Miſnenſ.				
D. Antoninus Archiepiſ. Florent.				
S. Hilarus P. 47 Calaritan.	460	6. 3. 10	467	70
Honorius 1. P. 71 Campanus.	622	12. 11. 7	635	110
Honorius 2 P. 165 Bononien. Fagna-	1124	6. . .	1130	227
nus, Canon.Reg.				
Schiſma 23. Cæleſtini.				
Honorius 3. P. 179 Rom. Sabellus	1216	10. 7. 13	1227	241
Inter Sanctos adſcribitur S. Lauren-				
tius Epiſc. Mellin. 1226. & S. Vgo				
Burgundus Carthuſ. 1227.				
Honorius 4. P. 192 Rom. Sabellus.	1285	2. . .	1282	266
S. Hormiſda P. 53 Venafranus.	514	. 9. 11	523	77
S. Hyginus P. 10 Athenienſ.	150	3. 11. 28	154	16
I				
S. Innocentius 1. P. 41 Albanus	402	15. 2. 10	417	61
Roma obſidetur à Gothis, & di-				
ripitur.				
Innocentius 2. P. 104 Rom. Caſſinen.	1130	13. 1. 8	1143	228
Schiſma 24. Anacleti				
Concilium Lateranenſe 2.				
Donatur ritè aris S. Vgo Grationo-				
pol. 1130				
Innocentius 3. P. 178 ex Comitib.	1198	18. 6. 9	1216	245
Sign. Canon. Reg.				
Concilium Lateranenſe 4.				
Inter Sanctos adoptatur S. Homobo-				
nus Cremon. 1098. & S. Procopius				
Boemus 1204				
Innocentius 4. P. 182 Genuenſ. Fliſcus	1243	11. . .	1254	252
Concilium Lugdunenſe 1.				
Sanctorum Catalogo adſcribitur S.				

Edi-

	Creat.	Tép.Pont.	Mors	pag.
Edimundus 1248.				
D.Petrus Martyr Ord.Prædic. 1252.		A.M.D.		
D.Guillelmus Epiſc. Biocenſ. 1253.				
D.Stanislaus Cracouienſ.Epiſ. 1253.				
D.Clara Minoriſſarum Mater 1255.				
Innocentius 5. P. 187 Burgund. Ord. Prædic.	1276	. 5. .	1276	260
Innocentius 6. P. 201 Lemouicenſ.	1352	9. 8. 23	1362	281
Innocentius 7. P. 206 Sulmonenſ.	1404	2. . 22	1406	288
Innocentius 8.P. 217 Genuenſ. Cybo	1484	7. 10. 27	1492	307
Detegitur à Chriſtophoro Columbo nouus Orbis.				
Innocentius 9. P. 234. Bononienſ. Fachenetus	1591	. 11. 1	1592	336
Innocentius 10.P.240 Romanus Pamphilius.	1644	10. 5. .	1655	347
Ioannes 1. P.54 Tuſcus	523	2. 9. 16	526	79
Ioannes 2. P.57 Rom.	531	2. 4. 6	534	84
Ioannes 3.P.62 Rom.	559	13. . 16	172	91
Ioannes 4. P.73 Dalmata	639	1. 9. 18	640	108
Ioannes 5.P.83 Antiochenus.	684	1. 9. 8	686	122
Ioannes 6.P.86 Græcus	701	3. 2. 12	705	125
Ioannes 7.P.87 Roſſanenſ.	705	2. 7. 17	707	127
Ioannes 8. P.109 Roman.	872	10. . 2	882	159
Ioannes 9. P.118 Tiburtinus, Caſſin.	897	2. . 4	899	169
Ioannes 10.P.125 Rom.	914	14. 2. 16	928	177
Ioannes 11.P.128 ex Comitib.Tuſcul.	930	4. 10. 15	933	180
Ioannes 12.P.133 ex Comitib.Tuſcul.	950	8. 4. 6	964	185
Ioannes 13.P.136 Rom.	965	6. 11. 5	972	190
Ioannes 14.P.140.Papienſ.				
Schiſma 17.Bonifacij 7.Benedicti 7 & Ioannis 14.	984	. 8. .	985	195
Admouetur ritè aris S. Vldericus Auguſtæ Epiſ.				
Ioannes 15.P.141 Rom.	985	9. 6. 10	995	195

Ioan-

	Creat.	Tēp.Pont. A.M.D.	Mors	pag.
Ioannes 16. P.142 Roman.	995	. 4. .	995	195
Ioannes 17.P.145 Rom.	1003	. 4. 25	1003	199
Ioannes 18.P. 146. Rom.	1003	5. 7. 29	1009	199
Ioannes 19. P.149 ex Comitib. Tuſc.	1024	8. 9. 9	1032	203
Ioannes 20. P.188 Olyſiponen.	1276	1. 8. 8	1277	266
Ioannes 21. P.198 Gallus Schiſma 26. Nicolai 5. Inter SS.adoptatur D.Ludouicus Toloſ. 1316. D. Thomas à Cantalupo Epiſ. Erphordien. 1320. D. Thomas Aquinas Ord. Prædic. 1323.	1316	18. 11. .	1334	276
Ioannes 22.P.209 Neapolit. Coſsus	1410	9. . 15	1419	292
S. Iulius 1. P.36 Rom.	330	15. 5. 17	352	53
Iulius 2.P.220.Sauonenſ. Roboreus	1503	9. 3. 12	1513	313
Iulius 3.P.225 Roman. de Monte	1550	5. 1. 16	1555	320
L.				
Landus P.124 Sabinus Can.Reg.	913	. 6. 22	914	376
Leo 1. P.46 Tuſcus Concilium Calcedonenſe.	440	20. 11. .	451	68
Leo 2. P.81,Samnis,Can. Reg.	682	. 10. 19	683	119
Leo 3.P. 98 Rom. Caſſin. Sanctorum Catalogo adſcribitur S. Suitbertus 853. Carolus Magnus Romanus Cæſar inauguratur.	796	20. 5. 18	816	142
Leo 4.P.105 Rom. Caſſin.	847	8. 6. 6	855	153
Leo 5.P.120 Ardeatinus Caſſin.	903	. 1. 10	903	171
Leo 6. P.126 Rom.	928	. 6. 5	928	178
Leo 7.P.129 Rom.	936	3. 6. 10	939	181
Leo 8.P.134 Rom.	965	1. 3. 12	966	186
Leo 9.P.154 Gallus,Caſſin.	1049	5. 2. 8	1054	209

	Creat.	Tēp.Pont. A.M.D.	Mors	pag.
Sanctor,ſyllabo adſcribitur D.Vuolfangus Epiſ.Ratiſp. 1049.& S.Gerardus Tullenſis Epiſ. 1052.				
Leo 10 P.221 Florentinus,Mediceus. Concilium Lateranenſe 5. Luterus lernam ſuam euomit.	1513	8. 8. 21	1522	314
Leo 11.P.236 Florentinus Mediceus,	1605	. 1. 1	1605	339
S. Liberius P. 37 Rom. Schiſma 2. Felicis.	352	15. 4. 17	367	54
S. Linus P. 2. Volaterranus	68	12. 1. .	79	6
S. Lucius 1.P.23 Lucenſis.	256	2. 3. 13	258	34
Lucius 2. P.168 Bononienſ.Can.Reg.	1144	1. 1. .	1145	231
Lucius 3.P.173 Lucenſ. Ritè S.Bruno Caſſ. Epiſc. conſecratur 1183.	1181	4. 2. .	1185	238
M				
S. MArcellinus P. 30 Rom.	296	2. 9. 27.	304	43
S.Marcellus 1.P.31 Rom.	304	5. 6. 21	310	45
Marcellus 2. P. 226 Politianus Ceruinus.	1555	. . 22	1555	322
S. Marcus P. 35 Rom.	335	. 8. 22	336	52
S. Martinus 1.P.75 Tudertinus.	647	6. 4. 17	654	110
Martinus 2.P. 110 Galleſinus.	882	1. 1. .	883	160
Martinus 3.P.131 Rom.	942	3. 6. 14	946	183
Martinus 4.P.192 Gallus.	1281	4. 1. 7	1285	265
Martinus 5.P.210 Roman. Columna.	1418	13. 3. 12	1431	295
S. Melchiades P.33 Afer	313	3. 2. 21	315	48
N				
NIcolaus 1. P.107 Rom.	858	9. 6. 20	867	156
Nicolaus 2.P.159. Ablobrox.	1059	2. 6. 1	1061	212
Nicolaus 3. P. 190 Rom. Vrſinus Ci-	1277	3. . .	1291	263

ſter-

	Creat.	Tép.Pont. A.M.D.	Mors	pag.
ſtercien.				
Nicolaus 4.P.193 Aſculan.Ord.Min.	1288	5. . .	1292	268
Nicolaus 5. P.212 Lucenſ.	1447	8. . 19	1455	299
D. Bernardinus Senenſ. Sanctorum numero adſcribitur 1450.				
P.				
PAſchalis 1. P.100 Rom.Caſſin.	817	7. 3. 17	824	146
Paſchalis 2.P.160 Tuſc.Caſſin.	1099	18. 5. 9	1118	221
Inter Sanctos adoptatur D. Petrus Epiſ. Anagn. 1110.				
Paulus 1.P.95 Rom.	757	10. 1. .	767	138
Schiſma 10.Theophilati				
Paulus 2.P.215 Venetus Barba.	1464	6. 10. 29	1471	304
Paulus 3.P.224 Rom.Farneſius.	1534	15. . 29	1549	319
Concilium Tridentinum inchoatur				
Paulus 4. P. 227 Neapol. Carafa è Cler. Reg.Fundatoribus.	1555	4. 2. 27	1559	321
Paulus 5.P.237.Rom. Burgheſius.	1605	15. 9. 7	1621	340
D. Franciſca Romana Sanctorum Cenſui adſcribitur 1608. Et D. Carolus Borromæus 1612.				
S. Pelagius 1. P.61 Rom.	556	4. 10. 18	559	90
Pelagius 2.P.64.Rom.	576	12. 2. 29	190	94
S. Petrus Apoſtolorum, & Pontificum Princeps Galilæus.	33	24. 5. 5	68	3
S. Pius 1. P.11 Aquileienſis.	154	11. 5. 29	165	17
Pius 2.P.214 Senenſis Piccolomineus	1458	5. 11. 26	1464	302
Pius 3.P.220. Senenſ. Piccolomineus.	1503	. . 24	1503	312
Pius 4.P.228.Mediolan. Mediceus.	1560	5. 2. 15	1565	323
Abſoluitur Concilium Tridentinum 1563.				
Pius 5.P. 229. à Boſcho Ghislerius	1566	6. 3. 23	1572	329

	Creat.	Tēp.Pont. A.M.D.	Mors	pag.
Ord. Præd.				
Profligatur nauali bello Turcarum Claſſis.				
S. Pontianus P.20 Rom.	233	5. . .	238	28
R				
Romanus P. 116 Galleſinus.	897	. 4. 23	897	167
S				
Sabinianus P.66 Tuſcus.	604	. 5. 19	605	98
Sergius P.85 Antiochenus Canon. Reg.	687	13. 8. 23	701	124
Schiſma 9. Teodori, & Paſchalis.				
Sergius 2.P.104 Rom.Can.Reg.	841	3. 2. 3	843	151
Sergius 3.P.122 Rom.	904	7. 3. 16	911	173
Schiſma 15. Leonis 5, Chriſtophori, Sergij				
Sergius 4.P.147.Rom.Caſſinen.	1009	2. 9. 12	1012	201
Seuerinus P. 72 Rom.	637	1. 26. 2	638	107
S. Siluerius P. 59 Campanus.	536	3. 9. 11	539	87
S. Silueſter 1. P.34 Rom.	314	21. 4. .	336	50
Concilium Nicænum 1.				
Conſtantinus Magnus baptizatur.				
Arius in Eccleſiam irrumpit.				
Silueſter 2. P. 144 Aquitanus, Caſſin.	999	4. 6. 10	1003	193
S. Simplicius P. 48 Tiburtinus	467	15. 7. 7	483	71
S. Siricius P.39 Rom.	385	13. 1. 14	398	58
Siſinius P.88 Syrus	707	. . 20	707	128
Sixtus 1.P.8 Rom.	129	9. 10. .	139	14
Sixtus 2.P.25 Athenienſ.	261	1. 11. 19	262	37
Sixtus 3.P.45 Rom.	432	7. [illegible]	440	66
Neſtorij miſerandus interitus.				
Sixtus 4. P.216 Sauonenſi Roboreus	1471	13. . 5	1484	305

Ord.

	Creat.	Tēp. Pont. A.M.D.	Mors	pag.
Ord. Min. Diuorum Catalogo adſcribuntur				
S. Albertus Carmelita 1476.				
SS. Bernardus, Petrus, Otho, Accurſius Adiutus, Martyres Ord. Min. 1481				
S. Bonauentura Card. Ord. Min. 1482				
Sixtus 5. P. 231 à Montalto Perettus Ord. Min. 1588.	1584	5. 4. 3	1590	332
Stephanus 1. P. 24 Rom.	258	3. 3. 16	261	35
Stephanus 2. P. 93 Rom.	752	. . 3	752	136
Stephanus 3. P. 94 Rom. Can. Reg.	752	5. . 29	757	137
Stephanus 4. P. 96 Rom.	767	3. 5. 27	772	140
Schiſma 11. Conſtantini, & Philippi	816	. 6. 23	817	144
Stephanus 5. P. 99. Rom.	885	6. 6. .	891	152
Stephanus 6. P. 112 Rom.				
Stephanus 7. P. 115. Rom.	899	1. 2. 19	897	166
Stephanus 8. P. 127. Rom.	928	2. 1. 15	930	179
Stephanus 9. P. 130 Rom.	939	3. 4. 15	942	182
Stephanus 10. P. 156 Lotharingus Caſſin.	1057	. 7. 12	1058	211
S. Soter P. 13 Fundanus.	175	7. 11. 17	182	20
S. Symmachus P. 12 Sardus.	499	15. 7. 28	514	70
Schiſma 5. *Laurentij*				
Clodoueus Francorum Rex baptizatur.				

T

S. Theleſphorus P. 9 Græcus.	139	10. 8. 27	150	15
Theodorus 1. P. 15, Afer	195	9. 10. 26	203	22
Theodorus 2. P. 117, Rom.	897	. . 20	897	168

Va-

V	Creat.	Tép.Pont. A.	M.	D.	Mors	pag.
Valentinus P.112.Rom.	827	[illegible]	1.	10	827	149
S. Victor 1.P.15 Afer.	195	9.	10.	26	203	22
Victor 2.P.153 Sueuus	1053	2.	3.	16	1057	220
Victor 3.P.160 Beneuentan.Caſſin.	1086	1.	3.	24	1088	217
S. Vigilius P.60 Rom.	537	18.	7.	15	558	88
Concilium Conſtantinopol.2.						
Vitalianus P.77 Rom.	657	14.	5.	29	672	113
S.Vrbanus 1.P.18.Rom.	227	6.	7.	4	233	26
Vrbanus 2.P.161 Rhemenſ. Cluniac.	1088	11.	3.	18	1099	219
Inter Sanctos refertur D. Attilanus Epiſ.Zamoren: 1085.						
Vrbanus 3.P.174 Mediolan.Cribellus	1185	1.	10.	25	1187	240
Vrbanus 4.P.184 Trecenſis.	1261	3.	1.	4	1264	255
Aris aſſeritur S.Riccardus Epiſ. Ciceſtrienſ. 1261.						
Vrbanus 5.P. 202 Toloſanus Caſſin.	1362	7.	2.	24	1370	282
Conſecratur ſolenni ritu S. Catharina filia D. Birgittæ 1365.						
Vrbanus 6.P.204.Neapol.Butillus.	1378	11.	6.	7	1389	265
Schiſma 27. Clementis 7.						
Vrbanus 7. P.237 Rom. Caſtaneus.	1590	.	.	12	1590	334
Vrbanus 8.P.239 Florent.Barberinus,	1623	21.	.	.	1644	343
Ritè conſecratur Sancta Eliſabetha, & S. Andreas Curſinus.						
Z						
Zacharias P. 92 Calaber,Caſſin.	741	10.	3.	16	752	134
S. Zephirinus P.16 Rom.	203	18.	.	18	221	23
S.Zoſimus P 42 Græcus	417	1.	4.	6	419	62

INDEX

CÆSARVM, ET REGVM AVSTRIACORVM.

Albertus 1. elect. 1298	pag. 361
Albertus 2. elect. 1438	p. 365
Carolus 5: elect. 1519	p. 372
Carolus 2. Hiſpaniarum Rex natus 1660	p. 403
Ferdinandus 1. elect. 1588	p. 375
Ferdinandus 2. elect. 1619	p. 384
Ferdinandus 3. elect. 1635	p. 386
Ferdinandus Vngarorum Rex 4	p. 401
Fridericus 3. elect. 1314	p. 363
Fridericus 4. elect. 1440	p. 367
Leopoldus elect. 1655	p. 391
Matthias elect. 1612	p. 381
Maximilianus 1. elect. 1486	p. 369
Maximilianus 2. elect. 1565	p. 377
Philippus 1. Hiſpaniarum Rex	p. 391
Philippus 2.	p. 393
Philippus 3.	p. 396
Philippus 4.	p. 398
Rodulphus 1. elect. 1273	p. 359
Rodulphus 2. elect. 1576	p. 379

Errata ſic Corrige.

pag.5	v.	19	Arſitque	Hauſitque
8	v.	6 à fine	uſſitque	iuſſitque
29	v.	2	quam	qua
75	v.	8	peldidit	perdidit
144	v.	5 à fine	cutto	culto
149	in margine		817	827
176	v.	11	ardet	ardent
186	v.	21	ſequiannum	ſeſquiannum
211	v.	1	electus	euectus
272	v.	17	nullus	nullos
340	v.	19	vrbibus	vrbis
370	v.	28	vnguibes	vnguibus
381	v.	1	geladam	gelidam
383	v.	1	ngenitus	Ingenitus